IOANNIS BONA VITA

IOANNIS BONA

CARD. S. R. E. EMINENTISSIMI

VITA

EMINENTISSIMO Q.

CAMILLO MAXIMO

INSCRIPTA,

Et sub Auspicijs

EMINENTISSIMI PRINCIPIS

ALPHONSI

CARD. LITTÆ

ARCHIEPISCOPI MEDIOLAN;

In Lucem Edita.

LVCA BERTOLOTTO

Abbate Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Auctore.

Astæ Apud Secundum Victorium [illegible]
Zangrandis. *Sup. permissu* 16[illegible]

ALPHONSO LITTÆ
CARD. S. R. E. EMINENTISSIMO,

Sapientiſsimo Inſubrium Epiſcoporum
Archipræſuli
Purpurato meritis antequam purpura;
Triplici titulo æternitati famæ donando
Auita nobilitate, parta virtute,
vtriuſque merito,
Monachorum Congregationis S. Bernardi
Reformatorum Protectori maximo,
Patri optimo,
Vigilantiſsimo, Beneficentiſsimo.

LVCAS BERTOLOTTVS

Eiuſdem Congregationis qualiſcumque Monachus.

HANC Eminentiſſime Princeps, quæ Te nunc in Patronum aduocat, Epiſtolarem opellam Ioannis Bona virtutes, & geſta referentem Camillo Maximo S. R. E.

 Car-

Cardinali amplissimo, ipso vt potè afflante conceptam olim inscripseram. Verùm tanto hoc lumine, gemente illa adhuc sub prælo fatalem suam eclypsim passo, curandum erat, ne suo viduatam sole prodire in publicum permitterem nouaı cuius repararetur luce, non illustratam vicario sidere. Maiora interim orbis Ecclesiastici luminaria cogitanti adfuisti Tu illicò Princeps Eminentissime, Solare Mediolanensis Ecclesiæ iubar, apostolicosque inter Planetas conspicuum, quod eidem & interceptæ lucis defectum suppleres, inque clementiæ Tuæ sinu admissæ satis superque amissum reintegrares patrocinium. Vix menti occurreras,

quod

quod ex vultus Tui, qua obuiantibus splendes, qua supplicantibus places maiestate, serenitate prioris luminis iacturam mihi lucrosam præsagiens, quo mærore ereptum Camillum collachrymaueram, pari lætitia Te nactus in Patronum expeto. Nec est cur, vel me nihil prorsùs de Te bène merentem audacia incuses, vel Te expostulari succedaneum graueris; temeritatem enim, si quæ mihi huius rei titulo imputanda, nisi qua Te minoribus peræquas, affabilitas excuset, qua maioribus præemines, beneficentia abundè purgabit. His siquidem animi Tui dotibus attribuendum, quod vix Innocentij XI. Pontificis fæliciter re-

gnantis diplomate protegendæ huic meæ Congregationi Camillo suffectus Eminentissimo, in quo locaris, ex fastigio eousque Te demiseris, vt insalutatus adhuc absentibus eiusdem Congregationis Patribus salutem scripseris, ijsdem eamdem socialem, & Tibi innatam exhibens facilitatem, qua Tibi præsentes beantur. Stabunt æternò tantæ Tuæ humanitatis in monumentum litteræ Bernardi filijs duplici iam titulo chariores tùm quia summam beneuolentiam, paremque redolent zelum; tùm quia auctæ, Te auctore, Bernardi Icone gentilitia, qua obsignantur parma nobilitatis Tuæ simùl ac pietatis ostentant imaginem. Insi-

gne

gne, Eminentissime Princeps, post hoc Tuae subiectos in monachos humanissimae mentis, & expectorati amoris signum, praesentem nisi opellam tutelari suo Numine destitutam gloriosissimo Tuo nomini tutandam commendarem, aut protectionis muneri, quod altè gloriaris, & quod summum polliceris, iniurius conuincerer, aut Ioannem Bona, cuius illa vitam explicat minus tibi; quod magis iniurium esset suspicarer gratum. Vtrumque igitur euasurus obijciendum crimen rediuiuum meo qualicumque sub calamo Ioannem Bona, meque post ipsum clientelae Tuae, qua nulla nec augustior, nec securior defendendos subijcio; illum equidem

Pur-

Purpuratum Purpurato ſapientia, prudentiaque magnum Prudentiſſimo, Sapientiſſimo; me verò nullius notę hominem, meæque Congregationis vltimum nullibi Eminentiſſimas ob virtutes non noto viro, eiuſdemque meæ Congregationis primario Capiti, & optimo. Sed nec Te Clementiſſime Princeps morabor amplius ratus ſola hac mea nuncupatione ſatis Te mihi meoq; opuſculo tutelare conciliaſſe Numen, cum & ipſis non rogantibus beneficentiſſimè munificentiſſimè obvius fias. Fortunent Te interea vndique ſuperi, proque meo, meorumque omnium ſecundent voto, Tua enim ex fælicitate non mihi, aùt meis dumtaxàt, qui-

bus

bus tàm prestò es, quàm potens, sed & toti Christianorum orbi tàm Tua pietate, moderatione, beneficentia, magnificentia, cæterarumque virtutum splendoribus capto, quàm Te in caput imploranti fortunatissima pendet fortuna. Vale.

AVCTORIS PROTESTATIO

VEtante Vrbano felicis recordationis Papa Octauo, vt ſuo in Decreto die 5. Iunij 1631. emanato legitur, ne quis Virorum, qui vel Sanctitatis famâ, vel ſummarum virtutum opinione, è vita migrauerint, quempiam typis dilaudet, niſi facta ab auctore in libelli principio proteſtatione, qua Lectoribus ſignificetur, nullam ſcriptis, præter eam, quæ ſcriptori debetur, fidem eſſe præbendam, Ego eo, quo par eſt obſequio, decreto huic vt paream, proteſtor, quę in hoc libello de Ioanne Bona Cardinali Eminentiſsimo narrantur humana dumtaxat auctoritate niti, vtpotè non Romæ diſcuſſa, nec à Sede Apoſtolica approbata, ſed ſolam eam ſibi exigere fidem, quam penes me habeo, humanam ſcilicet, & indubia minorem.

Lucas Bertolottus.

NOS infrascripti Sacræ Theologiæ Lectores ex iussu Admod. Reuer. Patris Abbatis D. Lucę à S. Carolo nostræ Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis Cistercienſis in Pedemontio, & Sabaudia Prouincialis ex integro perlegimus, & quò fieri potuit diligenter examinauimus opus ab eodem Admod. Reuer. Patre conscriptum, cui titulus Eminent. Cardinalis Bona vita, in quo cùm nihil inuenerimus, aut Catholicę fidei, aut bonis moribus non consentaneum, quinimò omnia sint eruditione plena, & quæ pijs Lectoribus proficere possint ad exemplum, illud typis dignum censemus, si ijs ad quos pertinet, bene visum fuerit. Dat. Taurini die 15. Nouembris 1676.

D. Matthæus a S. Benedicto.
D. Iacobus a S. Nicolao.

Impr. Inquisitor Asten.

EX mandato Reuerendissimi Patris Inquisitoris vidi librum, cuius Titulus IOANNIS BONA Cardinalis S.R.E. Eminentissimi Vita, &c. in quo nihil fidei, ac moralitati virtutum deforme reperi. Immò dignũ existimo Typis demandari ob singularia tùm exempla, tùm documenta in ipso relata Die 2. Mensis Maij. Astę An. 1677.

Frater Dionysius Magister Casalis Seruita Astæ S. Inquisit. Consultor.

EX iussu Reuerendissimi Patris Inquisitoris Astēsis, qua potui cura, opus euolui, quod inscribitur IOANNIS BONA Cardinalis S.R.E. Emin. Vita; & in illo nihil ab integritate morũ, à fideiue orthodoxę puritate dissonum inueni. Opus sanè, ab eruditione sublime, & pietate optimũ, quod pręclara, quę continet gesta Emin. Bona proclamant. In omnibus igitur tàm pium, tam doctum, omniq; sapientia refertũ opus, vt omnibus prosit, omni plausu publicè exeat. Sic fero, saluo meliori iudicio. Astæ in Conuentu nostro S. Ioseph. Die tertia Maij Anno millesſ. sexc. septuag. septimo.

Fr. Ioannes Antonius à S. Alexandro.
Prior Carmelitarum Discalceatorum.

Imprimatur.

Fr. Ambrosius Spalatinus Ord. Prædicatorum Vic. S. Officij, Astæ.

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO S. ROM. ECCL. CARDINALI CAMILLO MAXIMO:

Lucas Bertolottus Abbas.

EMinentiss. Cardinalis Bona vltima ab die completus iam annus est, Princeps Eminentissime, & nondum in lucem exijt, & tibi, & orbi cuncto desiderata admirabilis eius vita. Moræ causa magnarum rerum moles, quibus impar delectus à te calamus in tanta virtutum affluentia scribenda dum eligit, fugiunt ab eo multa opus redditura imperfectum, ni operi adiungantur. Sed & ijs additis, alia adhuc attexenda occurrunt;

quæ ſibi dum ſuam quærũnt ſedem, Hiſtoriæ iterum ſuccidunt fila, ſicque dum ſæpius, & texo,& retexo, nec tuis oculis , nec meo Bona dignum aggredior nihil , aut ordior. Vicere tandem aliquando inconſtantem animum, collectis iam vndequaque grandioribus Ioannis facinoribus ; ijſque ſuum , qua potui diligentia,in ordinem digeſtis, promiſſus tibi feſtinandus labor, ac totius Orbis expectatio , terminando labori mihi vires adaugens,tùm obſequioſum meum erga te ſtudium, túm tuum à te mihi laborioſi huius officij imperium edictum . Relictis ergo opportuniori tempori , quæ argutiori calamo parata typis adſunt, Elogijs,ſiſto nunc tibi Ioannis Bona magni tuorum affectuum magnetis, & maximi; quam tu in-

duis, purpuræ ſplendoris, ingenium, mores, ſtudia, virtutes, fortunas, totiuſque vitæ curſum, eaque omnia exili vt ſtylo, & ſine Rethorum fuco, ſic ſimplici ornata veritate. De eo autem id ſolum dicam, vel quod ab eodem mihi familiariſſimo narratum, vel quod meis miratus ſum oculis, vel quod grauioribus acceptum ab viris fidelem complebunt hiſtoriam.

MOntem Regalem Patriam ſortitus Patre Ioanne Baptiſta Bona, ſub Carolo Emanuele huius nominis Primo, & Victorio Amedeo Filio Sabaudiæ Ducibus, & Cypriorum Regibus militum Ductore Matre verò Laura Zu-

gana, die 19. Octobris anno 1609. natus. Probat genitoris nobilitatem, præter ſanguinis cum Lediſguerio Comite ſtabuli Franciæ propinquitatem, quam Galliæ ſcriptores illi attribuunt, Præfecturæ militaris, quam dixi, dignitas, nullibi viris, non niſi honeſtis, ſupraque populares, aut virtute, aut diuitijs, aut vtriſque opulentis conceſſa, nobiliſſima præſertim in Vrbe, in qua Ciuibus ſubeſſe non patiuntur Ciues, niſi qui præſunt, cœteros nobilitate præſtent. Popularem equidem ſortitus eſt genitricem, & genere marito imparem, ſed quam tamen honeſtas ſumma, & egregiæ formæ ſupra fidem venuſtas ſic altè nobilitauerant, vt clariori à viro amari prome-

rita fuerit, & connubiali eidem coniungi toro. Fratres habuit maiorem natu eiusdem nominis, alterum, ipsa inter cunabula sublatum, minorem verò Carolum Antonium ante pubertatem exanimatum, & geminas Sorores Annam, & Margaritam, tertio, & quarto partu natas. Ioannes in baptismate dictus est, cui adhuc puerulo, & affari nescio si quando, quod infantibus raró non accidit, vel inter fascias, vel matris in sinu vberiùs fleret, liberculo aliquo ostenso, aut papyri pagella, gemitus illicò cessabant, & lacrymæ; magnum sic ille parentibus indicium præbens futuri in literis profectus. Mira huius exindé ad literas indoles, ad studia alacritas, quippé.

pè, cui, vel infantulo, vel adoleſcentulo, vt lectionibus vacaret, nunquam nec flagra adhibita nec minæ, ad diſcendum, ſemper ipſe promptior, quàm ad docendum eſſent paratiores magiſtri. Duodecimum circiter natus annum, ſufficienter Grammaticorum imbutus diſciplinis, priuato ex ludo publicas mittitur ad ſcholas, ab Patribus Societatis Ieſu humaniores, quas dicimus literas, edocendus. Stupuere citó adoleſcentis Scholarum Rectores ingenij ſublimitatem, vimque memoriæ, excellens vtrumque in Ioanne ad prodigium. Retinet æternò quicquid ediſcit, ſemelque in mente repoſita, ſic firmè cuſtodit, vt reuocata ad

linguam tam citò adfuerint, quàm citò in mentem admissa. Quod autem ad ingenium attinet, testes adhibeo elegantes diuersarum rerum literales compositiones, varia Epigrammata, aliaque multa huius generis experimenta, illas ad Tullij cotem, hæc ad Maronis lyram elaborata. Hæc diù, Eminentissime Princeps, apud me seruata cum iterum, & iterum perlegerem, tantam in adolescente miratus ingenij fæcunditatem cum sermonis eloquentia, hæsi sæpè dubitans, an illa Ioannis essent, an verò alterius in Rethorum facultate multorum annorum magistri. At abstulere dubium extemporaneæ lucubrationes non post multum id tempus me presente ab eodem pari styli

concinnitate conscriptæ, vt postea intelliges. Literali studio par erat, morum grauitas, & innata moribus arcana vis quædam, quæ tam Ignatianos præceptores, & ludi condiscipulos, quam primarios Vrbis conciues in sui amorem non inuitaret modò, sed & alliceret penitus, & attraheret. Nemini eum formæ dignitas, oris suauitas, naturalisque ad comitatem procliuitas non commendabant, accederet cum ijs præsertim ingenuus, ac semper præsens pudor, candidi animi indicium, & erga omnes summa humanitas, eximiaque in omnium obsequium facilitas. Pietatem in Deum, in Deiparam, in Sanctos, præterirem, vt potè toti Beatæ Virgi-

nis ſodalitio, cui adſcriptum ſe voluit, & toti notam Vrbi, ſed hanc publici Iuris vt faciam, inter alia (omnia enim conſequi calamus diffidit) præfatæ ſodalitatis numquam omiſſa frequentatio ſollicitat.

Brei Vrbis in ſuburbio Ioannis Parentibus domus erat ab Platea (ſic Vrbis dicunt ſuburbijs quadrigeminis eminentiorem locum, Epiſcopali ſede, gubernatoris baſilica, magiſtratus aula, tribus Sacrarum Virginum aſceterijs, quatuor virorum Cænobijs, frequentiſſimoque populo inſigniorem) ſtrata equidem via, ſed adeò accliui, & ardua, vt inuiam ſe curribus dimidio milliarij diſtans præbeat. Hanc Ioannes profeſtis diebus, vt ſcho-

lis adesset, festiuis item, vt pietati incumberet, & deuotioni, singulis emetiebatur diebus, ab hyemali niue, ab æstiuo sole, ab cœlo pluuio nunquam, aut perterritus, aut retardatus, maximè veró expiabilis si confessionis, aut Sacri Conuiuij solemnitas esset. Lustro ferè integro sic inter Scholas, atque Aras emenso, humanioribus literis absolutè eruditum, parique profectu Sanctorum scientia imbutum, alibi vocant immissi de cœlo afflatus, quibus præoccupatus Ioannis animus, terrenarum, quæ sapiunt, despectis, acutiori oculo contemplari cœlum incœpit. Aderat intus animarum solator viuificans omnia, quem ille odoratus, ante Imaginem Mariam sem-

per Virginem propè Vicum repræsentantem, quam Domi habebat, in genua corruens hanc sic alloquitur. Me habes ad pedes tuos Maria puerum in biuio hærentem. Gemini me inuitant nulla sibi ad inuicem germanitate coniuncti, caro scilicet, & sanguis, vt mundum sequar sollicitatores; filij tui Spiritus, vt crucem suam tollam, admonitor. Cui istorum adhæream, diuina præuentus gratia, iam noui: Deo enim, vt potiar, electa mihi cruce; cætera omnia sub cœlo, carnem, sanguinem, & cohærescentes ijs voluptates, diuitias, honores pessum ire decerno. Hoc vnum nunc mihi à te precor clementissima Virgo, vt vbi paratam nanciscar Crucem, locum indices.

Puer ego ſum, & ſequuturus electorum Dei veſtigia, niſi tu me ducas, quo me vertam neſcio. Ire igitur parato viam oſtende, ibo quacunque voles, ſcitus quod me non niſi in bono lumine locatum volueris. Vix hæc affato ſomnus adeſt, & inſomnium, quo Ioannes ad Virginis imaginem, quam propé Vicum extare dixi, delatus, videre ibi Bernardum lactentem Virginis ex vbere ſibi viſus eſt. Hæc ille vt vidit, euanuit ſomnus. Narrauit hoc ſomnium mihi non ſemel Ioannes, ſubiungens item ſuſceptam ex ſomnio, & ſuæ vocationis certitudinem, & euidens ſubeundæ vitæ præſagium. Experrectus, nulla interpoſita mora, Vicum verſus iter capeſcens, vt citiùs pedeſter perueniret, ſtrata

via

via relicta, compendio vtitur, orans ad quosque passus Bernardum, vt is sibi lactante ab Virgine felices huius itineris efflagitaret exitus. Moratur euntem nihil, sexcenti non colles, & nitidissimi, & viridissimi (Maius enim mensis erat) non culta circumquaque vineta, non vallecula vbique obuiæ, pratis, riuulis, & castanearum syluulis amœnæ, quæ aliàs olim Ioannem remoratæ varia eiusdem exercendo stylo præbuerant argumenta. At aduenit tandem quó ferebatur, & viso decliui, & proximo ex colle subiecta in valle templo, nobilem Mariæ salutaturus Basilicam genuflectit, Virginem eamdem toto corde compellans, vt suo innueret voto; surgit deinde, viæque residuum emensus templum ingreditur.

vti-

Vtinam mihi Eminentissime Princeps, hìc te paucis morari liceret, & Ioanne in lacrymas profuso, anteque Virginis aram orante relicto, extra orbitam parumper egressus, hoc tibi templum dimetiri fas esset. Trina fronte polito lapide moles assurgeret, bis bina turri cuique ædificij lateri mirè ex fundamento vsque crescente, gemino sacrario, quadrigemino sacello, ædem, eam præter, quæ in templi vmbilico sacram pilam, in qua depicta imago Virginis adoratur, amplo satis amplectitur spatio. Faciem templi maiorem grandioribus columnis exornatam, tribus portis obuiam, intus fornicata Porticu, parastadibus Corinthio ordine circumquaque suffulta ab templo di-

ſtinctam contemplandam traderem. Laterales ianuæ duæ, quarum altera Orienti, altera occiduo ſoli frontes explicat, intus foriſque columnatæ, te non niſi admiratorem exciperent. Ingentis ſtuperes ad Teſtudinis molem, quas memini turres ſupergredientem, quæ ouali figura totam aream complens, graui octonos Eccleſiæ arcus omnes, immanes totidemq; pilas premens pondere, ſubeuntibus æquales magnificentiæ deprædicat ſumptus. Sacellorum aperirem maieſtatem, elegantiam, parietes marmore veſtitos, pari materia coronides columnis, hinc ex pario, hinc ex lydio impoſitas, eorumdem cuiuſque aditus columnis duodecim magnificentiſſimè ditatos. Dicerem ædiculæ in Baſilicæ meditulio

iam

iam tibi expositæ, & sacræ Imagini dicatæ, & quaquàuersum te facias solido argento, quæque aræ ornamenta, frontale tabernaculum, candelabrorum gradus, & candelabra, quidquid circum in Sacræ Iconis ornatum, vel præminet, vel eminet. Admirareris aureas, & Matris, & Filij coronas, coronata gemmis diademata, pensiles ex tholo magno, & pendere, & numero, ex auro, ex argento, egregios Lychnos, pretiosa hinc indè affixa muris votiua sigilla, corda aurea non pauca, & ex argento capita, crura, aures, oculos, brachia, mammas, manus, plaustra, naues, sclopos, enses, clypeos, acceptorum ab Virgine votorum votiua monimenta. Sisterem in

Sacrario te tandem vasa omnis generis calices, cruces, pollubra myrothecia, ex auro quædam, ex argento alia visurum, videndaque explicarem auro contexta, & margaritis vela altaris, & Sacerdotum attalico opere bifariam crispante cuiusquè coloris vestes, & paramenta. Sed & hæc, quæ dixi longiùs & pretiosiora, & magnificentiora tuo occurrerent aspectui, quàm ijs characteribus expressa habeas; cæteris simillima, quæ taceri iuuat, Regiæ Sabaudiæ Domus regalem quamuis magnificentiam, & magnam Subalpinarum gentium pietatem præseferant; ne te ab Ioanne longiùs distineam.

Hunc antè Deiparæ imaginem orantem reliqui, qui nunc ab sacra

æde coniunctum Monasterium precaturus sibi admissionem ad habitum ingressus, loci Abbatem constanti supra ætatem animo adoritur, per Deum Patrem, per Virginem Matrem, per Bernardum, cuius institutum communitas illa tota sequitur, vt sibi liceat eidem vitæ generi nomen dare; enixè deprecans. Vocari ab alto testatur, & vocantem non alio animo se sequuturum fatetur; quàm vt despecta terra adipiscatur sibi cœlum, cui iam totum se dederat. Lubens Ioannem audierat Philippus Malabayla loci tunc temporis Abbas, vir magnæ virtutis & doctrinæ; qui adolescentis miratus canam mentem, pauca interiorem, an verè ex Deo esset, probaturus spiritum, præfatus, consequendi voti

ſpe facta, iuuenem octauum poſt diem iterum reuerſurum domum remiſit. Orationi integrum dicauit is octiduũ, eoque vix completo ad Abbatem reuerſus, en me, inquit, præſentem iterum habes Reuerendiſſime, eodem animo, quo priùs, eadem mente habitum tuæ religionis mihi rogaturum. Non me, quæſo, nouis dilationibus conficias. Quam times adoleſcentiæ meæ ſufferendis tuæ Congregationis rigoribus imbecillitatem, ſponſore Deo, nulli oneri non parem polliceor, voluntatemque, cui nihil difficile, ad quæque grauiora paratam exhibeo. Sic fortiter, humaniterque ſuadentem Abbas humaniſſimis conſolatus amplexibus, & verbis, bono eſſe animo hortatur, illumque pro voto ſe

Prouinciali, cuia hoc totum intererat, & scripturum, & oraturum promittens, vacare, & studio, & precibus vsque ad responsum, quod sibi paucos iterùm post dies referendum putabat, affectu plusquam paterno, monet. Hac spe dimissus Ioannes gaudens partim Vrbem redibat, & partim mærens, an hoc quod sibi valdè efflagitabat, pro voto succederet, incertus adhuc. At irascentem modo ætatulæ, modo concepta ex spe hilarescentem castanearum silua inter Vrbem, & suburbium collem occupans euntem excipit, mentis cogitationibus æquè fessum, ac meridiano itinere, herbosa viridique non procul ab via oblata sede, vt parumper quiesceret inuitans. Vix illic insederat, cum ex inopinato mulierem ob-

obuiam sibi aduentare præsentit haud sibi cognitam. Forma huic pellax erat, ætas, vt videbatur vigesimum non excedebat annum, Vestium nitor haud popularem faciebant, sicut nec puellarem illius animum, frons inuerecunda, & incompositus incessus. Puellam, cuius speciosa ex forma Bernardus adolescens adhuc, quos ignes curioso aspectu hauserat, gelido restinxit in fonte omninò crederes. Hanc ille, vt vidit, nihil sibi mali timens, innocenti nempé, & muliercularum illicijs penitùs ignaro, sic sedens properantem expectat, salutantem resalutat. Illa verò, vt ad Ioannem accedit, ipsum intuita, libidinis accensa igne, facto impetu furtiuo aggreditur amplexu, supraque ipsum ex indu-

ſtria corruens, & irretiens renitentem, aſpernantis, abhorrentiſque frontem oſculata, & oculos, repugnas fruſtra, inquit, adoleſcentulorum pulcherrime, niſi oſculis te redimens, mihique liberaliter oſcillo ex tuo oſcula reddas, quæ reluctando accepiſti. Furerat illatam ad vim ſi Ioannes, tunc fremuit ad vocem, ſumptoque de cœlo conſilio, pleno ore inhiantem oſcula inſpuens, quam vi nulla execrandam mulierem repellere potuit, ſcreatu expulit, ſaliuæ ex ſputo ſibi facta ſalute. Hac autem ille ſibi parta victoria, ſimili in bello vt ſemper vinceret, feras minús fugit, quam fœminas, vt infrà ſuo loco me dicturum polliceor. Tranſierant hac iam ab die alij quindecim, quorum nullus ſcholis ſolicitum

tum, oratorijs frequentem, Domi inclusum, aut studio vacantem, aut precibus, Ioannem non vidit, fallens ille hac arte tempus, quo leuiùs longa expectatione grauaretur. Accidit autem, vt citiùs, quàm crederet, de accepto, quod opperiebatur, Prouincialis responso ab Abbate, quem dicebam, certior fieret, quo magna animi exultatione intellecto, Vicum proficiscens iterum, acceptisque illic literis commendatitijs, Abbati vale dicto, sacra Virginis imagine salutata, seque eidem enixiùs commendato, domum gaudens reuertitur, nocte sequenti parentibus inscijs initurus fugam, quod certè vt conceperat, sic vsu venit. Nam nocte ferè tota insomnis traducta primo diluculo parentes fallens, & calcans side

comite, sine duce Pinarolium versus iter capescens, alterius diei sub vespere ad Monasterium dictam propè Vrbem Congregationis Sancti Bernardi pro educandis Nouitijs designatum aduentat. Dici impossibile est qualia Ioanni ad solos huius Abbatiæ primos aspectus superuenerint gaudia; sed & est auditui incredibile, quanta iam subeunti exhibita gratulationis; & charitatis officia ab Alexandro Vitali præsertim loci Priore, & simul Nouitiorum Magistro summæ puritatis, contemplationis discretionis spirituum, tantæque charitatis viro, vt pestilitate affectorum seruitio incumbens eodem contagionis morbo vitam finierit. Is enim præter ea, quæ de Ioanne sibi percrebuerat fama; quo erat plenus

ſpiritu, longè maiora odoratus præſentem iam; quaſi ſi Angelum intuitus eſſet, exhilaratus paterno amplectens affectu, lætantis animi nulla ſigna non dedit. At ſic ille exceptus, hoſpitalitatis completo tempore in cellam ducitur, chorum deinceps frequentaturus, adfuturuſque aliorum omnium adinſtar communibus exercitijs. Diebus ſeptem ſic vixit precibus incumbens, & conſcientiæ examini, culpas omnes per confeſſionem generalem expiaturus. Die octaua tertiodecimo Kal. Iulij 1625. confeſſus, & ſacra communione refectus monachali pro huius noſtræ Congregationis more, breui ad rem præſentem adhortatione præuia, induitur habitu, nouitijs aggregandus monaſticæ in diſciplinæ exemplar, vt reuera com-

pertum fuit. Nam Ioanni, siue psallenti adsis, siue mentaliter oranti, vel lectioni occupato, vel operi, seu ad communem mensã vescenti, seu publicis adhibito colloquiis nihil inerat, quod summæ adstantibus ædificationis non esset. Quippe ad omnia factus, ac si iam multis annis in ijs exercitus, eorum, quæ dixi, sic singula obibat, vt laudari ab omnibus mereretur, de se incredibiles in virtute progressus magnam non nisi spem exhibens. Passum tamen aliquando tantum lumen eclipsim suam, quam relatam volo, ne factorum Ioannis plùs laudator videar, quâm narrator. Ieiuniorum, quæ regularia nos dicimus, Septembris ab Idibus ad Sanctum vsque Pascha indesinenter continuanda, dies erant. Horum

vno, cum aucta iam ad meridiem hora valdè Ioannem fames exagitaret, querelanti stomacho cœli permissu auritus nimis, prandij horam sibi acceleraturus rotale ad horologium accedens, vrget dum horas, luxato axe, totoque impetu laxato pondere, rotarum dentibus manu capitur. Cruciat dentatus calybs captiuum, sed minùs quàm mordeat intus fames, quàm foris torqueat pudor, consilijque omnis expers hæret, luget, & tandem clamat. Accurrit ad vocem Magister, qui vt viso Ioanne stupuit, sic eiusdem mordentes inter rotulas compertа manu horruit, copiosè effuso ex sanguine mala ratus maiora, quàm quæ essent, manum ab nexu liberat, abstergit, rimatur vulnera, cumque sauciatam præter cutem

inte-

integrâ reperisset omnia, mutatô in hilaritatem vultu, Et quid hoc est, inquit; ô fili? Nunquid præcipites effecisti, quas voluisses celeres rotas? Visus nunquam sic pudibundus Ioannes; qui vt culpam excuset, famè accusata, pœnitudinem pollicitus; sibi deprecatur veniam. Manum collo appensam gestauit per dies; quo interim spatio Generalis Abbas Ioannes Gouleu, vir apud Gallos aurei calami, visitationis gratia superueniens, Ioannis nostri ad scrutinium vocati, pendenti ex collo fasciolâ obligatam vt manum cernit, causam interrogat. Nihil ille morans, non sine tamen vultus rubore, ingenuo, quo semper animo fuit, causam detegit. Subrisit audito euentu Abbas, & ad Ioannem conuersus,

cum nihil ossium, inquit, disturbata moles perfregerit, fortunatè res accidit, sed tu præter genatum ruborem, hanc quoque solues pœnam, Epigramma totam huiusce rei complectens historiam crastino dabis die. Id actum ab Ioanne, sed tanta styli tum grauitate, tum perspicuitate, vt nihil in Epigrammate sũmo ab viro notatum, admiratione,& laude non dignum. Tractauerat iuuenile ingenium rem seriò, ludens equidem, feriens, at lugens, verum tantum horum singulis temperamenti adiunxerat, vt singula, & miræ ipsius ad poesim indolis, & maturi re etiam in leui iudicij,argumentum essent. Sed & satis à me lusum Eminentissime,Ioannis ad grauiora me verto.

Hunc vix manu incolumem il-

ligant toro exulcerata crura, & oc-
cumbere cogitur, cui erat magis
cordi nihil, quam vbique adesse,
qua communitas non abfuisset.
Per menses mansit sic compeditus,
quo tempore, lucra vt sibi faceret
ex valetudinis dispendio, vtque ia-
centi aliquid ipsius pro voto adde-
retur leuaminis, eloquentiæ impe-
ritis Rethoricam docturus Magi-
ster præficitur. Inter cæteros tra-
dor & ego illi docendus, duobus
eo annis ætatem si spectes, & reli-
gione maior, at longè post ipsum
in reliquis minor, cui si quid boni
stylo huic meo inest, totum debeo.
Orta hac ab occasione me inter, &
Ioannem, quæ intercessit, nullo
euentu intercepta familiaritas, &
mutuus amor, quibus neminem
me sibi ille gratiorem, nullum ego
mihi

mihi eo chariorem habui.

Cessauit sed illicò lectio, vt ille conualuit; tertio scilicet ab decubitu mense; exindè quos imbuerat rethoricis disciplinis scholares omnium virtutum docturus exempla: Prosequitur constanti animo perfectissimæ ineundæ virtutis, quod incœperat opus, in silentium; in orationem; inque cætera Monasticæ vitæ exercitamenta propensior, quò se solemni nuncupando religionis voto viciniorem cerneret. Completa huius igitur annua tyrocinij probatione, cœtu vocalium statuta pro lege coacto, & adiectis calculis, refragante nullo decreta ei votiuæ professionis facultas, quam Ioannes ratam habens, Orbe toto priùs renunciato, quarto nonas Augusti 1626. conceptis

votorum verbis, Congregationis Sancti Bernardi Reformatæ, vt semper optauerat, perpetuò se illigauit. Renatum autumasses, non nisi, quæ solo nomine nouerat triumphaturum vitia, non nisi quas sibi familiares fecerat victurum virtutibus, ijs in acquirendis solicitum; illis in debellandis strenuum. Hac in exercitatione totus, si quæ temporis pars sibi relinqueretur, vel ab opere, vel ab oratione libera, hanc, vel legendo, vel scribendo terebat, quidquid reconditæ doctrinæ, aut arcanæ eruditionis occurreret, non tam stylo excerpens, quàm memoria, qua ita pollebat, vt lecta semel nunquam amplius excidissent. Annum ab professione emissa sub eadem magistri disciplina exegit, post quem Philo-

ſophiæ cum ſocijs auditor electus Montēgroſſium propè Aſtam Pōpeiā mittitur Hieronymi Carraræ omnis literaturæ viri Philomuſi quippè, Philologi, Philoſophi, & quod omnium ſummū eſt, virtutum auidiſſimi, vitiorum incapaciſſimi, ſub magiſterio erudiendus. Tanto ſub viro eā laude totius Philoſophię curſum confecit, vt tàm ſodales, quàm magiſtrum admiratores fecerit, illos equidem ingenij acumine vincens omnes, hunc aſſequens indefeſſo ſtudio. Huic laudi nihil falſi appingo, Eminentiſſime, nam præterquamquod ingenium laudo toto laudatum ab orbe, Carraræ extant ad Ioannem literæ typis breui conſignandæ, eorum, quæ de Ioannę nunc dixi, teſtimonium redditūræ. Opus ſub hoc tempore va-

rum precationum totiusq; vitæ religiosæ exercitationes complectens, incœpit huc vſque typis deſideratū, in quod quaſi in aluearium, quidquid vel é Sacris Patribus, vel ex pijs ſcriptoribus ad rem pertinens inter legendum occurriſſet, apis adinſtar referebat, cui deindè Aſcetici Horologij nomen indidit. Hoc quod ſæper ipſius in manibus creſceret, & ſibi dumtaxat ſeruaret in vſu, poſthumū exibit. Philoſophica feliciter ſic emenſus ſtadia, vix ceſſatis, quæ integro anno ſubalpinos oppreſſerant populos; lue, fame, & bello, & quibus impedita nobis, & prorogata Generalia comitia, conſequenterque ſuſpenſæ ſtudiorum deſignationes, redire Pinarolium iuſſus eſt. Vacauit illic ſine magiſtro Sacræ Theologiæ, ſibi diſcipulus & Do-

ctor, summæque D. Thomæ summè incumbens, pertinaci studio, & qua valebat ingenij acie Theologiam, quam vix pauci sine prælectore apprehendunt, solus comprehendit: Sed sic discunt facilè suos vbi candidatos excelso suo ex suggestu Diuina erudit sapientia. Duobus annis plùs minùs solitario huic applicatus studio anno 1633. currente, Romam venit, quam solus, vt dicebam, sibi acquisiuerat scientiarum scientiam iterum sub preceptore auditurus. Quos hìc fecerit in sacra doctrina progressus recenserem ego, qui condiscipulus aderam, horum nisi luculentiores testes essent, quibus intererat, aut propugnator, aut contradictor, publicæ disputationes: siue enim ad infirmanda aduersariorum dicta,

vel ſua comprobanda Ioannes accederet, nihil eius ingenio promptius, nihil eius memoria fertilius, quippè qui vtroque ſoluendis difficultatum nodis pollens, in medium reuocabat quidquid primarijs ex Theologiæ ſcriptoribus lectitando hauſiſſet. Addenda ingenio ingenita eiuſdem vultui modeſtia, quæ vt diſputationibus rara accidit, ſic in Ioanne fulgidior apparens, ſplẽdoribus ſuis eius dictis adijciebat pondus. Sed ætatem attingens Sacerdotio habilem, præuia multorum dierum, noſtratum pro more, frequentiori rerum diuinarum meditatione, longioribus vigilijs, aſſidua magis piorum librorum lectione, diligentiorique omnium virtutum exercitio, non repugnans potiùs, quàm volens ad Sacerdotium

tium pertrahitur, & tunc iam ſcitus, quàm arduum eſſet altaris miniſterio ritè fungi, ipſumque Dei filium pro ſuis, & aliorum peccatis incruento ſacrificio quotidie immolare. Sacro eo Ordine initiatus, & prima in S. Pudentianæ templo ad altare, quod ſibi Romæ Apoſtolorum Princeps ſacra facturus erexerat, oblata hoſtia, cordi nihil ei magìs fuit, quàm vt exinde nihil cogitaret altaribus non dignum, operaretur nihil ſacro viro alienum. Id faciliús vt ſibi obtingeret, meditari opuſculum de Miſſa ſanctè celebranda aggreditur, quo ſe, & alios diuina acturos ad ſacra ſemper paratos faceret. Hoc ille pleno ſancto igne libello vſus primò, quos ex eo perceperat ſanctimoniæ, & purioris vitæ fructus, vt cæteris per-

cipiendos communicaret, amicorum sui similium impulsu multos post annos publici juris fecit. Hi erant, Eminentissime, si qua ab studio, & oratione vacasset hora, Ioannis labores omnes, sanctorum scilicet Patrum, piorumque Auctorum reuoluere libros, excerpere flores, documenta deligere, quibus ille melior per dies euaderet, fieretq; alijs monasticæ perfectionis stimulus. Triennali sacræ Theologiæ cursu absoluto, Generali in Congregatione apud Subalpinos in Abbatia Montis regalis 1630. habita, simili studio eodem in loco decreto, Ioannes, vt primus esset, qui patrib. illo in Monasterio Theologiam doceret, magister designatur vigesimum sextum circiter annum agens. Hanc operam defugisset il-

le, non quà laboriosam, & non sine pertinaci studio subeundam, ijs enim saginari experiebatur; sed quia internam animi solitudinem amanti, iamque fructuosioribus sibi in studijs occupato, clamorosis, etsi sacris, incumbere disceptationibus prœdurum esset; Reluctari tamen instante præcepto non ausus, assumpto munere sic fungitur, vt omnium etiam superaret laudes. Prælegenti ego, vel non inuitatus adfui quandoque; admirator æquè, ac auditor, claritatem doctrinæ stupens, & subtile Doctoris ingenium. Primæ cuiusque mẽsis lectioni Ecclesiastem simul agens, & Scholasticum, rarum erat, quòd pauca eodem explicando textu eruta (Beccanum interpretabatur) ad auditorum animos inflam-

mandos, reformandos, eleuandos non præmitteret, idque tanta oris ſuauitate, ac verborum vigore, vt omnium mentes doceret ſimul, & accenderet. Natura, & genio grauem ſi quis Scholarium minus diligeret, hunc Ioannis hamabant in menſtruis recreationibus amæna conſuetudo, iucundus aſpectus, & hilaris pro repræſenti relaxatio, vtpotè quæ muſas conciliatrices iocos recitaturas quandoque vocarent, quando muſicam, qua modulatè aliquid recitaretur. Huius Theologici curſus circa finem, Matthæo Ogerio defuncto vacabat ſuo Priore Cęnobium Aſtenſe, cui vt ſeduló prouideretur, impleretque ſedem illam ſapiens vir, & prudens, deſiderato pietate, & doctrina eximio haud inferior, ij, ad

quos res attinebat, Ioannem eligunt, rati certò ei muneri ſatisfacturum æquè ac exanimatum, aut alium quempiam Ogerio parem. Probata res euentu, nam ille literis quas noſtri Patentes vocitant, acceptis, vt impoſito oneri collum ſubdidit (quod ſanè inuitus fecit) Cænobium illud ita ſuſtinuit, inque melius promouit, vt ſibi tàm apud ſuos, quàm apud exteros lucratus applauſus fuerit. Domi aderat, & omnium rerum præfectus, & rei nullius non curator, ab ſuis ſpirituales profectus diſcretè exigens, ſuis temporalia largè, paternéque diuidens. Erat & foris implorantibus opem obuius conſul, nihil ſibi magis gratum habens, quàm vt nullis non prodeſſet. Luxere octauum circiter poſt menſem

non

non minùs Monachi, quàm Ciues breue Ioannis regimen, & nimis acceleratum discessum, tàm illi comitijs ab generalibus redituro idem exoptantes munus, quàm eiusdem sibi mutuò præsentiam expetentes. Verùm desiderata rei exitus fefellit; laudata namque ex Cænobij, quod dicebam procuratione, qui Romæ nouarum electionum Æstimatores sedebant, Iudices, zelum Ioannis, prudentiamque odorati, hanc quamuis trigesimum vix attingeret annum Monasterij B. Mariæ Montis Regalis in Abbatem allegentes, non tàm suā Astensibus frustrarunt expectationem, quàm & Ioanni suam; suam Ioanni, inquam, quem tantùm abest, vt ambitionis studia premerent, vt opprimerent potiùs nusquam quæsitæ, & vndi-

que delatæ dignitates. Abbas ne ſit id agit, quo pauci non vtuntur, Abbates vt fiant, ad omnium pedes prouoluitur, precibus omnes tentat, orans, inſtans, poſtulator moleſtus, flagitator importunus, nihil negligens eorum, quæ renunciando titulo profutura exiſtimaret. Difficile dictu eſt, quibus, vel Abbatem Generalem, vel me ſibi amantiſſimum, vt in acceptandæ renunciationis ſententiam pertraheret, ſit vſus auſibus; & quæ adhibuit inhabilitatis ſuæ oneri ferendo argumenta. Tanta porrò afflatus eſt, tantaque molitus, vt victo tandem Abbate Generali, iam ſibi non modo oblatum titulum recuſare, ſed & vacationem obtinere licuerit. Hac impetratione lacrymis extorta Taurinum miſſus in Monaſte-

riũ B. Mariæ Cõſolatricis quinquennium peruoluendis libris exegit, quo toto tempore in literarum quadam malacia Alcyonem agens, vigilando, legendo, ſcribendo ouum concipit, tanta tùm doctrina, tùm eruditione replendum, vt animando vix omnes, non Religioſorum modò, & amicorum, ſed & Regiæ Sabaudiæ Domus Bibliothecæ ſatis fuerint. Hoc ad vnum omnes feruntur Ioannis labores, cogenda ex ſacris ſpicilegia, decerpendi ex profanis flores, legenda ex hiſtoricis monumenta, & quidquid pro Pſallentis Eccleſiæ harmonia hiſtoricum, ſymbolicum, aſceticum prouidendum foret. De hoc ouo; quod ſolum concipitur, pro nunc ſatis, cætera dicam cum illud Ioannes pariet. At impalle-

ſcentis, & libris, & calamo tentatur Ioannis pudor iterum, eòque fortiùs, quò impudentiùs. Deperibat Ioannem æquè nubilis, ac nobilis puella, non castè tamen, vt cautè; nam contractas animi ſordes ſæpè apud Ioannem ſacramentaliter confeſſa, vt ſemper faciliùs ſibi Ioannis affectum lucraretur, quo intùs incendebatur Cupidinis igne cœlato, creſcente incendio amoris, impotens euaſa, ſimulato morbo, toro decumbens, vocari ſibi ab genitrice Ioannem totius anteactæ vitæ maculas per ſacram confeſſionem expiatura enixiús rogat, per Deum proteſtans, medicum venarum ad pulſum ſe non admiſſuram, niſi ſuæ animæ priús Ioannes medicinam feciſſet. Decepta ijs thecnis mater præmiſſo nuncio, qui

morbum filiæ deferret; Ioannem accersit, quem & mox præsentem delirantis cubiculum ingressa, pauca de repentino morbo præfata, excipiendæ confessionis ergo, vt rebatur, solum sine arbitris cum sola reliquit. Hac solitudine facta, præludit equidem morbosa veré iuuencula conficto Sacramento, lacrymarum diluuio, suspiriorũ procellis, & pectoris percussionibus; tremens, exalbescens, erubescens; sed statim hilari assumpto vultu; sindoneque qua operiebatur remota, ruens ad colla, ah pereo Ioannes, inquit, ni me deperiens, hoc iam tibi prostituto vtaris qualicumque corpore. Ille improuisam ad Venerem, ad Medusam veluti diriguit illicò; animo sed mox recuperato, ab amplexibus se expediens,

& cursu,quo iubato declinasset ab angue, aufugiens, miseræ heus vos, inclamat, & penitùs animo defectæ subsidium aliquod præstaturi accurite. Tanto in pudoris discrimine ab Bernardo simili in periculo lattones inclamante, clamare & ipse didicerat: adolescentulæ tamen seruaret vt famam, fuga iam ipse securus, proclamatum deliquium confinxit, quo & illa ipsa suam sibi obtegere inuerecundiam valeret, si vellet. Currunt ad ægrotantem omnes, aduolat mater, Ioannes interea in Monasterium reuersus, & Consolatricem ante Virginem prostratus,gratijs partæ victoriæ actis, castas inter musas se recipit iterum. Nunc & puellæ,eo in rerum tumultu, quid acciderit, enarrandum, magnam vt posse Ioanni conciliatu-

rum laudem, operæ pretium duco, idque eiuſdem Iuuenculæ verbis. Hæc enim ab eius lapſu poſt menſem, vel conſcientiæ intus agitata ſtimulis, vel ſic eam Deo ad pœnitentiam excitante, cum ad Ioannem confitendi ergo cum Matre acceſſiſſet, vt ſedentis pro Tribunali ad aures ſe ſiſtit, generali confeſſionis prolata formula, ſupra morem gemebunda, & lacrymans: En tibi adſum, inquit, effrons mulier, & impudens, & quæ paucis abhinc diebus, vt amatorem mei te facerem, impudicam me exhibui, puellæ, quo glorior, indigna nomine. Me habes malam fœminam, & iuſto titulo inter peſſimas indigitandam, ni me iam tibi proſtitutam abhorreſcens, ſimul tuæ, ſimul meæ præſentiſſimo com-

menti remedio ſtuduiſſes famæ; Fugientem enim, vt te intuita, clamantem mihi ſubſidia vt te experta, excogitato à te vſa deliquio, eam etſi vix mihi reddita me ſimulaui, quam tu me confinxeras, omnem intentati à me criminis hac arte genitrici adimens ſuſpicionem. Certiorem porrò hac de re te volui, & famam mihi eſſe domi integram vt te docerem, & tibi meos, quos lucratus es Deo, virgineos gratularer flores; Cœterum quam, Pater, ſacrilegam abſtinendo fugiſti, ſuſtinendo pœnitentem amplectere. Te tentaſſe, te ſolicitaſſe, & me pudet, & me pœnitet, quòd Deum, quòd te offenderim æquè mœrens, æqué dolens, ac ſi neci vtrumque dediſſem. Hæc illa ſingultibus abundans, & lacrymis

effata, paucis sacræ deindè confessioni complendæ adiectis, puniri, & absolui tacens expectat. Quæ pœnitenti puellæ Ioannes aut dixerit, aut operatus sit, vt eamdem pœnitentiæ in proposito confirmaret, nec huius loci sunt, nec temporis. Hoc vnum tantum addo, quod illa audito Ioanne, Monialium Monasterium ingressa, anno probationis nondum peracto, magnæ post se virtutis relicto exemplo, vt piè creditur, euolauit ad sponsum.

Idem circa tempus, non pauca accidère huic, quam scribimus, historiæ non mediocrem ad Ioannis laudem attexenda. Vnus fuit constans eius in virtute semper animus, quo nunquam non sibi similis, seu sederet, seu staret, seu ambularet, ea visus vbique, tùm grauitate, tùm

modeſtia præditus, quæ & morigeratum virum, & eximiæ culturæ Monachum omninó decerent. Huius rei Burſerium ea tempeſtate apud Subalpinos magnæ literaturæ virum, & inſignem Regiæ Sabaudię Domus Medicum teſtem profero. Ioannem is ſæpè magnam Ducis literariam porticum, cuius præfectus erat, ſtudiorum cauſa introductum, cùm aliquando, ardentioribus præcipuè ſub caniculæ diebus auidè ſtudio vacantem multo manare deprehendiſſet ſudore, hortatus eum, vt minorem, quo veſtitus erat, craſſum, pannoſumque valdè, ſolitario vt poté in loco ab omnium oculis remoto, & amico coram, qui, & ipſe ſic magno ęſtu, & longa cum Ioanne familiaritate, ſuadentibus ſolis intimis amicieba-

tur, cucullum exueret, nunquam id obtinere valuit. Amici Ioannes hilari ſubriſu excipiebat verba, caloreſque faſſus magnos, hos augeri in maximos, ponderoſi caputij geſtamine non inficiebatur, addebat tamen æſtuare ſibi tolerabilius eſſe, quàm ea monaſtici habitus minutus parte, mutilum ſe intueri Monachum. Hac gauiſus non ſemel modeſta reſponſione Burſerius, exiliori tandem empto clanculùm panno, eoque ſarcinatori tradito, conſui Caputium imperat, idque ſecum ſequenti die in Bibliothecam delatum, cum aduenienti Ioanni explicaſſet, & hoc ſi me amas, inquit, quo, & tuæ modeſtiæ, & æſtiuo ardori prouiſum, vt minùs æſtues, leuiori pondere vtèris. Beneficio magna Ioannes grati ani-

mi ſignificatione accepto, gaudens & ipſe ſibi, quòd ſalua honeſtate occurreret, quo amici obſequeretur volũtati toties exindè cucullo illo vti paſſus eſt, quoties vtendum Burſerius admonuiſſet. Alterum verò quod de Ioanne indicatum volo, paucis expediam. Eodem Conſolatricis Taurini in cœnobio Monachum quemdam vix Diaconatus inſignitum ordine clàm ſibi ſæpé ſepiùs excitari aram, indui ſe ſacris, miſſam prælegere, patenam offerre, & calicem, oblata incenſare, aliaque ab eo fieri, quibus noui Sacerdotes, vt ritè celebrent per plures dies incumbunt; cum aliquando Ioanni relatum eſſet, is delatori prædiuinans, atqui monachus ille, inquit, abſtemijs ijs ſacrificijs ſibi miſſæ ſacrum prædiſcit, quod nun-

quam publicè operabitur. Probata res deindè suo exitu; nam idem ille post annum cum sacro Sacerdotij inauguraretur charactere, febri vehementi, sacra ordinatione expleta, correptus, quartum post diem, nullo celebrato Sacro, desideratus est.

Aduentabat intereà Generalium Comitiorum tempus, quæ ne iam semel ad biennium prorogata, diutiùs retardarentur, Ioannes Franciscus Minardus illius temporis Abbas Generalis Pedemontium toti impedimento interuertendo vnà mecum profectus, cùm iam omni difficultate superata Romam regredi meditaretur, consulente me, & promouente, in officium Prouincialatus, quod per renunciationem vacabat, Ioannem hac de re nihil co-

gitantem, ac penitùs inſcium ſuffecit. Et en Ioannem, iam tertiò repetentem Vrbem. Taurino abeuntes ſimul, mare ſimul ingreſſos Sabatiam inter, & Genuam orta ex improuiſo aggreditur procella, qua omnes (quinque omninò nauigabamus) vnum præter Ioannem, conſternati, cùm Genuæ appuliſſemus, mutato conſilio, & equos aſcenſi, Vrbem tandem ingredimur, Capitulum Generale cum cæteris, qui iam aderant, celebraturi. Hoc feliciter incepto, cùm ad Superiorum electiones ventum, Aſtenſis Cœnobij iterum Ioannes in Priorem deligitur, quod regimen, cum declinare de more ſuo iam meditaretur, me, cui eo in generali conuentu totius Congregationis oneris, licet impari, ſuprema commiſſa cura,

ra, audito, suadente, vtpotè indignum esse viro crucis voto adscripto, & qui altè alios abnegandam voluntatem doceret, Superiorum arbitrio non acquiescere, & exercendæ virtutis, quibus regimina abundant, auersari occasiones, capi se ita passus est, vt deindè de designato sibi officio recusando, nec mussitauerit quidem. Pedemontium igitur reuersurus Astam Pompeiam vtcumque lubens iter intendit, haud ignarus quali illuc animo ipsũ, & Ciues opperirentur, & Monachi. Omnium gratulatione susceptus, omnia eorumdem impleuit vota, se cuique offerens, quem sibi quisque eum prȩstolaretur, regendo muneri grauem, curandæ rei domesticæ prouidum, promouendæ virtuti discretum, ne-

mini nocentem, omnibus charum. Hic administrandæ Prouinciæ summoperè quamuis attento, vacuum si quid temporis superesset, vocante, qua semper ardebat, studiorum siti, aut calamus instabat, aut iuncta semper calamo piorum auctorum lectio, quibus ipse, vel seipsum perfectiùs instrueret, vel alios perfectissima doceret. Compendij viam ad Deum hic meditatus, quidquid hanc ad rem pertinens, vel voluendo Patres, vel percurrẽdo arcanæ huius Theologiæ professores, vel Deum precando occurrisset, accurata diligentia delibans, & sibi transcribens omnem operi, formã alibi acceptaturo, expediuit materiam. His dum insistit, eo graui afficitur morbo, qui eius supremũ minatus diem, in omnium iam

oculis

oculis lacrymas excitaret. Indictæ pro eo vbique preces, nuncupata vbique vota, quibus tandem placata Diuinitas, salubritate Ioanni restituta, lacrymas, quæ mœroris erant, lætitiæ fecit. At vix Ioannes bene valens à morbo vitam viuit, quod mortis statim præoccupatus memoria, nihil cogitauit prius, quàm pias suæ vltimæ voluntatis condere tabulas, quas deindè toties ratas habuit, quoties ituró cubitum imago mortis, somnus occurreret, suos deprecatus, vná secum sui post obitum tumulatas vellent.

Has inter vicissitudines, & occupationes triennali gubernatione exacta, coactis iterùm Generalibus comitijs, Ioannes faustiori iam omine Montis Regalis renunciatus Abbas, id voluntati diuinæ, vt par

erat, attribuens, vix libenti animo, quo tamen, & tacito, factæ de se electioni acquiescens, Vicensi Abbatiæ regendæ, Patriam reuertit. Æris illuc pro more campani receptus sonitu, toto Monachorum cętu comitante, templum ingressus, effusas ad Virginem post preces, ad Abbatialem scandens sedem ęquè reuerenter, ac festiuiter salutatur Abbas. Monachis nihil illo die beatius, at nihil Ioanni tristius, quippè cui tam arctissimi cognatorum, & gentilium, qui iam aderant, amplexus, quàm geminatę Monachorum gratulationes oneris iam magis essent, quàm honoris. Sed & creuit eo ab die Ioannis anxietas, nam sedenti ad clauũ, cùm se se vndique iam sisterent negotiosæ rerum omnium cogitationes, promouendæ

tem-

templi fabricæ, reparandorum ruris prædiorum, curandi peregrinantium hoſpitij, alendæ piæ inſtitutionis iuuentutis, frequentiſſimi Eccleſiæ ſeruandi concurſus, tuendorum Abbatiæ bonorum, & quod maius omnium erat, regendarum animarum, tanto eſt ille affectus mœrore, vt, etſi horum ſingula ſatis feliciter fieri contingeret, ſinceri nihilominùs gaudij toto eo regiminis tempore impotens euaſerit. Nec mirum, viro enim huc vſque, vel nihil, vel leuiter ab Muſis, quieta ab librorum occupatione diſtracto, prædurum erat, & inuincibilis moleſtiæ, ſtudiorum iure amiſſo, ijs detineri, quibus toto aduerſabatur genio. Fluctuans ſic per annum ſtetit, & nauſeans; at cum ſcyllæ occurrerent ſemper, & Carybdes

ſolui tandem ab puppi appetens,renunciatione regiminis Generali Abbati tranſcripta, eumdem per Deum, & per Virginem precatur, liceret ſibi ex cathedra in ſcamnũ redacto antiqua frui ſtudiorum familiaritate. Verum haud ignorans, quem orat, qualem ſe nunc vſque occupatiſſima in adminiſtratione Ioannes geſſiſſet, quibus profectibus aucta ſubditorum virtus, procurata intus, foris res domeſtica, tantum abfuit, vt ſupplicanti obſecundaretur, quin potiùs efficaciſſimis literis, nec vlteriùs in officio vacillet, eum hortatus,renunciationis ſpe omni ſublata, proſequi rem incœptam imperat. Hoc Ioannes conflictatus reſponſo, diú hæſit, an iterum Abbatis Generalis tentaſſet animum; ita fieri ſuadebant,

quam

quam patiebatur eo in statu violentia, quos oderat, gerendorum tumultus, quod deperibat iã ferè desertum literarũ studium, ea verò ne faceret, instabant votum superioribus arbitrium, propriæ voluntatis abnegatio, & nouæ repulsę timor. Ita in biuio agens, Monialis magnæ virtutis, cùm sibi occurrisset memoria, hanc consulere statuit, ratus sibi nihil non prosperum contingere posse, huius, quam plenam Deo credebat, dictamen si sequeretur. Actum omninò sicut conceptum, sed Monialis audito Ioanne, eiusque animo intellecto, diuino afflata spiritu eum alloquens: Et cur docendus huc ad mulierem accedis, quem Deus super candelabrum docturum alios exposuit. Ferendum iugum est,
non

non excutiendum. Idolum puta quidquid mens ſuggerit ſuperiorum voluntati aduerſum, horum enim arbitrio tàm nolle nihil debes, quám velle omnia. Stadium igitur, quod cępiſti ad finem vſque percurre, ibis hoc exantlato Romam te maior, huc reuerſurus te minor, illò reuocandus iterum purpureas lecturus roſas. Redit hoc ſumpto oraculo ad ſuos Ioannes, non doctior equidem, ſed in propoſito crucis non renunciandæ conſtantior, ſerenior iam, ni ipſum clara ſatis Monialis auſpicia non nihil obnubilaſſent, quæ tamen, quód humano ſpiritu prolata crederet, cum pauci faceret, eorum ſtatim oblitus, nihil hærens clauo totus inhæret. Sibi hac via ſe redditus operi Pſallentis Eccleſiæ Harmoniæ reaſ-

ſumpto, quæ elucubrando hinc inde excerpta coaceruauerat, & vix obiter in ordinem redegerat, meliorem in formam digeſtis, vltimam impoſuit manum. Quæ autem, Eminentiſſime, hujus operis ad laudem pertinent, te latere non puto, qui & præfixum operi criticum auctorum indicem, & intermixta eidem vario carminum genere poemaſia; ſtylo quidem ad multorum inuidiam, afflatu verò cœleſtium rarum ad imitationem; tot inſuper prolatos ſcriptores ſacros, profanos, varios tot pſallentiũ ritus, tot pſalmodiæ myſteria, cunctaque arcanæ eruditionis plena, & ſuo digna argumento, & perlegiſti, & obſtupuiſti. Eodem tempore perfectum hoc opus eſt, quo Ioannis præſens abſolutum gubernium

proſ-

Proſperè igitur vtriſque peractis, Capitulo Generali Ciſalpinæ Florentiolæ coacto Ioannes intereſt, in quo vnanimi, ac propé mirabili animorum conſenſione Præſes renunciatus, tanta & animi prudentia, & vultus modeſtia, ſeu argueret, ſeu laudaret, ſeu ius diceret, ſe geſſit, vt ſuorum ſibi lucratus corda, Hieronymi Corij etiam Parmenſis Vrbis Epiſcopi, eiuſdemque Capituli auctoritate Apoſtolica Præſidis affectum promereretur. Hieronymo oracula erant Ioannis verba, huncque auſcultandi tanta ille detinebatur cupiditate, vt ab eo, cùm pariter ſermocinarentur, graui ſine ſui animi moleſtia abſtrahi non poſſet. At omnibus, quæ vel ad reformationem morum, & monaſticam diſciplinam ſubleuan-

dã, vel quę, aut ad publicam rerum Congregationis, vel cuiusque tàm Monasteriorum, quám persona-rum priuatam vtilitatem æqua esse videbantur, exactè, & suo examinatis pondere; atque decretis, cúm iam nihil consultationibus quam numquam satis bene consulta Abbatis Generalis electio, superesset, hanc Ioannes postquam omnium precibus zelo, & prudentiæ commendasset, pauca & pro temporis ratione, & gerendæ rei grauitate præfatus, in crastinum diem celebrandam dimisit, & denunciauit: Itur sed iam in suffragia, quæ primo illo in conatu, in multos, vt potè pro diuersimodè affecto cuiusque animo, distracta, cum speratos exitus egissent irritos, datis iterùm calculis, saniorum, ac prudentiorum

parte refragante eligor ego, & virtute, & merito nemini non inferior. Verùm dum conceptis verbis huius electionis decretum, & ſcriptis mandatur, & Definitorum Patrum ſignatur manibus, effulgente mihi de cœlo luce, tenuitati meæ vt conſulerem, facturuſque Epiſcopo Præſidi, pauciſque refragatoribus rem gratam, irreuocabili voluntate, penitúſque amicis ingrata, & iniurioſa, publicatæ iam meæ creationi reluctatus, renunciatione interpoſita, nouæ electioni redordiendæ auctoritatem adieci. Iteratò igitur exquiruntur ſuffragia, quibus adeò Ioannis promotioni conſultum, vt nemine penitùs non ſuffragante ſummam ad Congregationis dignitatem prouectus fuerit. Ordinationi de ſe factæ, & detre-

ctari, & obniti moliebatur, egiſſetque pro voto, Parmenſis ni Præſul, qui hoc certum præuiderat, graui eum adhortatione concepto, hoc ab conſilio reuocaſſet. Actis pro more gratijs, impoſitaque Comitijs clauſula, me, quem in Aſſiſtentem eligi voluit, ſibi comite aſſumpto, Romam venit iuxtà Monialis auſpicium, iam ſe maior.

Biennium iam ſteterat alma in Vrbe non vnus in doctiſſimorum hominum, quibus illa impletur frequentia, ſed alter ſolitariorum ſibi ſoli viuens, niſi eum, vel abſtraxiſſent vita functi auctores, cum quibus ferè ſemper conuiuebat, vel abripuiſſent ſuæ Congregationis negotia, quibus ſæpè alienabatur. Cubiculo vſus pro Principum aula,

ſcis, Eminentiſſime, quos illuc admitteret Principes ? Auguſtinos, Chriſoſtomos, Bernardos, cœteroſque Eccleſiæ Patres, hos conſulens, vt horum dictis, tàm ſuæ, quàm ſuorum conſuleret ſaluti. Vis vt dicam, ijs ab ſe dimiſſis, qui ad Ioannem ingrederentur Aulici ? Sacræ antiquitatis ſcriptores, adoleſcentis Eccleſiæ Hiſtorici, veterum rituum docti, quorum familiaritate ea aſſequeretur, quæ eruditum hominem decent, & pium. Patebat & Theologis aditus, ſed quibus magìs affectiua quam dicunt, quam Scholaſtica placuiſſet. Hos ille amplexabatur quaſi rerum diuinarum nomenclatores, oſculabatur reliquos, vt qui diuina patientes æquè amatum Deum facerent, æquè notum: Hæc erant Ioannis otia, hæc

oblectamenta, & ijs clauo dum instat implicitus, suo numquàm impar cognomento, nihil boni nouerat, quod non edisceret, quod non operaretur, quod non doceret, factus suis ædificantis doctrinę, eximiæque virtutis ardens lucerna. Typis hoc tempore Psallentis Ecclesiæ Harmoniam euulgauit, qua deindè publicè prostante ab doctis, ab eruditis laudatus antequam cognitus, vir quoque charactere Poetico, Historico, Philosophico, Theologico insignis, & amari cœpit, inde desiderari, & posteà quæri. Ioannem fastidit intereà quorumdam suorum interpellatio, quam palàm recordari operæ pretium erit. E'vita decesserat Monasterij S. Bernardi ad Thermas Prior Nicolaus Rollendinus, cui cùm Ioannes

Romanæ Prouinciæ Præfectum suffecisset, ne is in vacantium neglectum, gemino Prioris scilicet, & Prouincialis frueretur titulo, Fabio Chisio Cardinali tunc Eminentissimo porrectus libellus, quo, & hanc suffectionem irritam fieri, & alium substitui impensè postulabatur. Demandata res tota Fagnano, qui contradictione perpensa, Ioanneque audito, nihil in facto, quod æquum non esset rimatus, omni eiecta reclamatione, litem possessori, vt par erat, adiudicat. At ratus Ioannes muneri suo feliciter tractando perplurimum profuturum, si Chisio huius rei, & ortus innotesceret, & exitus, ad eum pergens, vt admittitur, vt inclinatur, vt alloquitur, vultus modestia, oris suauitate, verborum elegantia sic

placet; ſic allicefacit, vt ſibi in perpetuum Chiſium deuinciret. Paucis de litis victoria hinc inde dictis, metricis certatur muſis, plenos Caballini fontis crateres altero alteri propinante. Chiſius poſt hæc exploraturus quo Ioannes polleret ingenio, prolatis in medium de veteri Philoſophia Platonis, Cebetis, Ariſtotelis, & aliorum de re Theologica, myſtica, & hiſtorica ſermonibus, cúm doctè de ſingulis differentem Ioannem intellexiſſet, erga eum ſic affectus eſt, vt inter doctiſſimos ſibi adſcripſerit, nihilq; eo exinde charius habuerit. Falleris Eminentiſſime, Ioannem ſi autumas coluiſſe vlteriús, aut officijs, aut obſequijs Chiſij adeptam ſibi exiſtimationem; toto enim hoc tempore, quo Ioannes Romæ perſeue-

ſeuerauit Abbas , anno circiter, hoc inter ipſos primum colloquiorum fuit, & poſtremum, ſatis ſibi ille exiſtimans, quod beneuolentiam Chiſij conſecutus, ſi quos alios iura dicenti contradictores pateretur, nihil ſibi ab eo timeret aduerſum. Chiſium ex morum probitate, ex purpura, ex ſanguinis ſplendore, clariſſima ab indole, ab ingenij viribus, & ab rebus egregia cum laude geſtis, difficile dictu quãtum Ioannes veneraretur; at eum conuenire, ſeu prohiberet occupatiſſima ſemper Chiſij aula, ſeu amicus ipſius Ioannis vetaret receſſus, nihil is vnquam minùs eſt meditatus. Rem addo, & ipſi mihi incredibilem, hanc niſi retuliſſet Ioannes ipſe, Genuam ſcilicet pro celebrandis Comitijs profecturum

insalutato Chisio Roma discessisse. Et cui aulicorum officiosæ humanitatis hoc obliuium offensæ non fuisset? Et quem alium austerissimę etiam disciplinæ virorum, Chisij, vel purpurata virtus, vel purpuræ decus, vel amans animus non salutata decuissent? Hoc vnum tamen vni Ioanni; quem vt poté suâ sorte contentum nullæ aularũ commouent auræ, licuisse liquet; & quidem quod in aulis rarissimum, inoffenso Chisij penitùs amore, vt paulò infrà dicam. Igitur vt dicere ingressus eram, circa sui Generalatus finem Vrbe relicta; Comitia generalia celebraturus Genuam contendit. Hoc in Patrum conuentu omnium expectationem, & fidem superauit Ioannis virtus. Absolutus enim illic officio pro more,

ascitusque vt administrati regiminis rationem redderet, reprehensus (veniam precor Eminentissime, pictorem enim non ago, sed historicum, quem decet omnia dicere) quòd aliquando præter institutum cymbalo in priuato quamuis personasset, iussum ei quod congregandis coram culpam hanc propria emendaret confessione; multa sibi præter imposita imputans, tãta cum sui deiectione prȩceptam aggreditur confessionem, tanto cum audientium stupore prosequitur, vt omnium oculos ad lacrymas excitauerit; incessere nec se imò cessasset, Præses ni ei demandatȩ pœnæ omninò pœnitens silentium indixisset. Cœterum pro Ioannis voto ijs in Comitijs eunt omnia, nam is vacatione ab omni officio obtenta se mi-

nor, pro Monialis diuinatione, Montemregalem reuertens, minoribus illic occupandus, munere Lectoris resumpto, iterum suos sacram docet Theologiam. Probata & illic alieno vitio Ioannis virtus, tolerantia præcipuè; modestissimũ enim quamquam, & nunquam vel suo muneri non attentum, vel ad rem quamque non semper paratissimum se Abbati suo exhibuisset, ille nihilominus, seu minùs natura comis, seu quòd aliquando se offensum ab Ioanne suspicaretur, ita ipsum infenso obseruat animo; vt nunquam placido intueretur vultu. Coleret ipsum Ioannes, veneraretur, adiret, se abijceret ad pedes; precaretur veniam, vel irrita cedebant omnia, vel si aliquam excitassent serenitatem, ea hyemis erat,

vix pura, & breuis semper. Impar erat vtrisque studium, Ioanni, vt officijs Abbatem flecteret, vel aliquantò mitigaret, eius nulla, qua indignati posset sibi affectum lucrari, occasione neglecta. Abbati contra, vt Ioannem non nisi acerbè reciperet, nulla item, qua valeret ei molestiam parere, non quæsita opportunitate. Hanc ad rem casum recordari placet; cui præsens adfui, cum illò, & mirificam adoraturus imaginem, & ipsum conuenturus Ioannem venissem. Ioanni Sabbato ante palmas conficiendus erat Theologiæ cursus, id cùm pridie Abbati significatum esset, vocato is ad se Cantore, cuia interest Monastici ritus Officialiũ, qui hebdomadã per quamque vicissim mutantur, tabellam compara-

re, volo, inquit ei, vt Ioannem publicæ Monachorum mensæ crastino die lectorem destines, nec tibi curæ sit interuerti hanc ob rem lectorum ordinem, & grauari Ioannem, si fungi iubeatur hoc officio hebdomada maiori perpetuis occupanda laboribus, diu enim est, quòd vel honoribus impeditus, vel priuilegijs hoc ab onere vacat, nec sibi durum censeri debet si expletis Theologicis lectionibus mensis lector adhibeatur. Acta omnia pro Abbatis voluntate, quibus Ioannes ex Theologiæ Magistro mensarius anagostes, & triclinaris lector ex Cathedrario, stupentibus qui audiunt, & id ægré ferentibus, deputatur, proclamatur. Vnum præter Ioannem currunt post hæc ad me omnes, vt si quæ mihi in Abbatem

aucto-

auctoritas esset (Assistentis enim & tunc officio fungebar) ea vterer, ne saltem extra ordinem oneraretur Ioannes lectoris mensæ nihilominus munus expleturus, cum huius rei faciundæ legitimum recurrisset tempus. Audiri hęc de viro altè educato, & summæ alioquin prudentiæ, rerum agendarum vsu illustri, & exercitato, adeò miratus sum, vt relata ferè mihi somnium essent. Accersito tamen illicò Ioanne, illum rem omnem cùm percunctarer, is subridens, vt tibi relatum, inquit, sic mihi fecit Abbas, absit tamen, quod me grauatum existimem, ille iure suo vsus est, iniurius ego & Deo, & hominibus, & mihi fierem, si merendi hanc nactus occasionem, libenti eam non amplectar animo,

Te hoc vnum etiam atque etiam obteſtor, ne ſcilicet hac de re, vt potè leuiori Abbatem conuentum velis. Quod præcipitur, flocci eſt, id ſi pacaté effectum fuerit; at creſcet in molem, ſi quid ei, vel verbum aduerſetur. Sic dixerat vir tam magni meriti, quàm magnæ mentis, meque obteſtatus iterum, ne de recula Abbati verba facerem, ſua hac incomparabili virtute exhilaratum reliquit. Sed ó admirabilemDiuini Numinis prouidentiam.

Ioannem dum apud Vicum vix Abbas non ſtomachatur, & deſpicatum habet, hunc eumdem Fabius Chiſius, Romæ aſſumpto ſibi Alexandri VII. nomine, ſummus Pontifex renunciatus, hac, quam ſubiungo occaſione motu proprio ſuæ Congregationis Abbatem Genera-

neralem deligit, cuius porrò electionis ratio hæc fuit. Absente ab Vrbe Abbate Generali Cochelino, inuasit pestilitas vrbes Italiæ clarissimas Neapolim, & Genuam, ijsq; adiacentia oppida quæque. Romam deindè aggressa, quamuis vigilante publicæ incolumitati Alexandro VII. minùs, quàm alibi sæuire visa fuerit, communia alia nihilominus inter mala, hoc vnum & nobis ingessit, quod commeatibus vndequaque impeditis, & vijs circumquaque clathratis, comitia generalia, quæ eo tempore celebrari debuissent, ad annum vsque prorogarentur. Verùm, cùm non omnibus grata cessisset hæc prolata Abbatis Generalis auctoritas, ijs præsertim, qui Romæ aderant, & quibus hac dilatione speratæ procrasti-

nabãtur dignitates;supplicatus Pontifex est, vt attenta comitiorum impossibilitate, dignaretur alio Abbate per ipsum creato, præsentes Congregationis necessitates prospectas velle. Præbuit supplicantibus Alexander magnorum Principum pro more faciles aures, at ijs, quæ supplicabantur, ne quid apparenti sub zelo licentiæ ambiendi in publicum Congregationis malum inuoluerent, Purpuratis Patribus vt examinarentur, seruata sibi iudicandi facultate, commissis, tamdiù fidem suspendit, quamdiú sibi relatio causæ retardata. Cursitant per aulas ambientes huius nouitatis duo Capita deputatis relatoribus alterius alter ad Generalatus officium extollentes merita, sic sibi adinuicem laudatores eximij, vt ambo

bo in absentes detractores inuidi: Decreta ab iudicibus iam horum alteri sũma erat in omnes potestas; placuisset sic si Sanctissimo, qui incredibili pro sua prudentia re altiús ponderata, singula concurrentium nomina, eorum scilicet, quos cognita virtus ad altiores Congregationis gradus aliquando extulisset, cum sibi deferri mandasset, vt sibi afferuntur, vt sibi Ioannis Bonæ prænomen occurrit, & quid diutiùs morabimur? Huic, inquit, cuius nobis nota sunt merita, viro vtpoté omni exceptione maiori, & tàm probo, quàm docto, quod vos Generalatus munus alteri decreuistis, motu nostro commendandum censemus, & commendatum volumus. Expeditur illicó, plaudentibus, qui bona saperent, tabescen-

tibus paucis, quos iam motæ conturbationis pœnitebat, Pontificium Diploma, quod Taurinum, vbi degebam, transmissum, cùm primùm in manus meas incidisset, soluto, ea, quę intercedebat inter me, & Ioannẽ familiaritate sic dictitante, inuolucro, vt vidi (nota mihi erat electio, incognitus sed adhuc electus) Ioannem iterum supremo Congregationis titulo insignitum, elusosque, qui in id immerenter contendebant, actas post Deo gratias, iterum Mõtem Regalem proficiscor. Valdè dubitandum, ni præsens adfuissem, ne Ioannes impedimento improsperæ valetudinis accusato, ab sibi iniuncto excusaretur imperio; hoc siquidem simile præterito acciderat anno; nam is, cùm eodem ab Alexandro VII. circa sui Pontifica-

tus initium, calamo Libelli Sacræ Indicis Congregationis Secretarij interprete Romam vocatus, Abbatis iugo ab negotiorum ſtrepitu liber ſubeſſe malens, quàm deperdita quiete honores alibi adipiſci, hac eadem vſus excuſatione, moras ſibi obtinuerat. Occurrendum igitur erat, ne factum ſemel fieret iterum, quod vtique feliciter accidit. Nam, vt dicere incœperam, cùm emenſo itinere Vici Abbatiam ingreſſus, vt Ioannem alloquor, vt dexteram deoſculor, ſalutari Abbatem Generalem vt audit, vt Pontificias literas legendo percurrit, ac ſi illi ſubeundæ ad Antipodes peregrinationis nuntium detuliſſem, ſic ille exangui pallet colore. Conſternatum multiplici ſubleuo argumento, & vrgeo, varia exagerans, Diuinam

erit concedere, quæ mihi negas. His commotus Ioannes, madido iam lacrymis vultu orantem amplectens, quibus & comitate, & modestia valebat; mihi, inquit, tenuitatique meæ hucusque reluctans consului, verùm ne te mœrentem diutiùs sustineam, moras Alexandro Pontifici maximo, cui ego nihil nõ debeo, gerens, agam quod hortaris, hoc tamen pacto, quòd & discedens, & progrediens, & Romæ manens inseparabilem te semper habiturus sim comitem. Sileo cætera, Eminentissime, promissum à me illi obsequium, Vici Abbatiæ applausus, Taurini, & vbique Cœnobiorum solemnes receptiones, & gratulationes, exhibitas Bononiæ, Mutinæ, Fori Cornelij, & Pisauri Eminentissimis ab Purpuratis co-

mitates, ne is in Vrbe, vbi tantoperè expectatur, longiús desideretur. Quirinalem adiret illicò Pontificis pedes osculaturus, quem tot iam vicibus, & titulis Mecœnatem sibi senserat, ni cessata nondum foris pestilitas, aduenis singulis omnes ad Pontificem prohiberet aditus, quod tamen paucos post dies assequitur. Non est facile dictu, qua vultuum, & verborum benignitate Ioannem Alexander exciperet, quo animi affectu, quo labiorum pressu Alexandri pedes Ioannes onerauerit, ille, quæ decet Pontificem in maiestate comes; hic verò gratitudinis simul, & modestiæ imaginem imitatus, acceptis pro benefactis nihil ab ore præter gratias effundens. Soluto hoc & reuerentiæ, & submissionis debito, Ioannes libris redditus, Via

Compendij ad Deum, ſacrum omninó opuſculum, quod longè ante myſtico calamo elucubrauerat, nũc verò typis mandandum, Alexandro dicauit. Nec leue putandum hoc in Ioanne ſuæ in Alexandrum gratitudinis ſignum, quippè quo ipſe Pontifici mortalitate adhuc induto, non vultus quidem, ſed idem deuotionis argumentum exhibuit, quod immortalibus & Cœli Ciuibus, & Cœlorum Regibus, Bernardo, Angelis, Deiparæ, & Christo, quibus cæteros deindè libellos ſuos omnes conſecrauit, exhibendum decreuerat; orbi hac huius operis nuncupatione oſtentans quantus ſibi Alexander, & quà olim inter Eccleſiæ Cardines, & quà nunc Cœlorum donatus clauibus eſſet.

At nec contraria Ioanni facta Alexander rependens, quo eum Pontificio dignatur affectu, eodem ipsum augens honoribus, Sacræ Indicis Congregationis Consultorem primò cooptat, Sacrorum Rituum deindè, & Propagandæ Fidei Congregationibus simili honestatum titulo additurus. Qualificatoris postea Sanctę Inquisitionis insignitum munere, demùm tot iàm occupationibus magnum, & illustrem, inter Sacri Officij Consultores, quo honore infrà Purpuram nihil dignius habetur, adscriptum voluit. Qualem se gesserit ad tanta magnarum rerum discutienda negotia assumptus, quis fulserit tot luminibus aggregatus, qua sapientia explanaret dubia, qua modestia exposita referret, quo iudicio contraria sen-

tientibus insitam ex animo euelleret opinionem; & suam insereret, nisi dicant, qui eum opinantem, respondentem, obiectantem audiere, auscultatores eodem momento euasi, & laudatores, satis nemo dicet. Magnus quamuis ingenij acumine, subtilitatibus nihilominus aduersans; hoc vnum illi cordi erat, vt, quam assecutus esset ex rationum soliditate, veritas elucesceret, nihil deindè sollicitus, seu paucis illa attigisset, seu multis, diuersa sibi obijcientibus, aut consultis respondens verbis, aut modestissimo contradicẽs silentio, dicere sæpè auditus ignarũ videri satiùs sibi, quàm obstinatum audiri, aut loquacem. Hanc doctrinæ, & modestiæ temperantiã, qua inter & consulendum; & consultores vtitur, vbique reluctantibus

con-

constanter exhibuit. Consuluit Ioannem aliquando magni nominis, & pecuniæ Mensularius, eum precatus, vt contractu maximi momenti potentiori inito cum viro, qui, quos pactus erat accepti auri fructus ne solueret, impermissum obijciebat fœnus, ad iuris trutinam examinato, quid ipse sentiret in scriptis redigere dignaretur. Re tota ille, & suo, & iurisconsultorum iudicio exquisitè ponderata, legitimum contractum, nulloque vsuræ vitio affectum, multorum prolatis Doctorum sententijs, maximé propriè rescripsit. Visa alicui, magnę tametsi notę viro, discrepans ab æquo opinio, hancque solidis quamuis ijs innixam fundamentis, quæ sibi posteá Sacræ Rotæ suffragia, & laudes merita

fuerint, non modo is nihili fecit, sed & in auctorem ab Alexandro VII. inter doctissimos cooptatum, sapientiæ, & integritatis fama iam Vrbi, iam Orbi cognitum, incredibili petulantia excandescens, ita responsione typis mandata, ipsum malè accepit, vt illius obscurandæ doctrinæ, & obnubilandæ gloriæ nihil intactum reliquerit. Vis scire, Eminentissime, quis ad hæc, quæ patientissimum irritassent, Ioannes steterit? vt ad graculum Cycnus, vt ad sues Minerua, suadendentibusque quinimò, vt suam calamo tueretur causam, & quid, inquit, iniuriosum ne me vultis, vt iniurias rependam? Maledicorum, & obtrectatorum hoc hominum genus, vt sperno, sic fugio, quod si effugere non conceditur, mea

aduerſus eos, quæ impugnant, obijcio ſcripta, quibus ſatis, & meam, & eorum inſcitiam apud Doctos manifeſtari puto. Sed & hanc Ioannis iniuriarum tolerantiam non vſque adeò mirabitur, cuius ad aures venerit, quà animi conſtantia ſubditi Monachi, quà lingua, quà calamo maximas pertulerit inſectationes. Parũ erat Cucullato, quod verbis eminus Ioannis famã impeteret, ſed & cominus ſcriptis aggreditur miſſo mendacijs pleno Romam famoſo libello; qui interceptus quãuis damnari auctorem talionis pœna exclamaret, Ioannes tamen crimen diſſimulans reum abſtinendo, & ſuſtinendo coercitum maluit, quàm inferendo, criminatione omni ad virtutis meritum tolerata. Et Purpuratus hunc in ſufferendis in-

iurijs æquũ retinuit animũ,eximiam cui rei fidem facit magni cuiuſpiam Theologi, ſed minoris tum mode-ſtiæ,tum prudentiæ, abundans con-tumelijs Apologia. Hic Ioannis de fermenti vſu in Sacris Liturgijs vtrã-que apud Eccleſiam,tum Græcam, tum Latinam per multa ſæcula aſ-ſerto, doctrinam indignatus (quod vtique condonabile, ſi qua par erat modeſtia id egiſſet, non inficior) Purpuram, & Regibus colendam, nec veneratus, nec veritus, ſic eo apologetico in libello in Eminen-tiſſimum iraſcitur, vt exſibilari, & derideri quaſi homunculum, & aliquem è turba, non erubuerit. Tantam hominis ſtomachati im-pudentiam turbari Ioannis amici, tum ſapientia potentes, tum aucto-ritate, ipſumque retundendæ auda-

ciæ, non adhortari modò, ſed irritare, quippè cui, & obiectis doctrinæ abundè, & iniuriosè acceptis immerenter facilimi reſpondere eſſet negotij. At ille tantùm abfuit vt læſæ purpuræ Rei, aut minùs quàm æquum erat doctrinam faceret, aut doctum iniuriarum accuſaret, vt vtrumque doctrinam ſcilicet, doctorem verbis laudaret honoratioribus, vitio attribuens id rependere, quod publicè reprehenditur vindictæ crimen. Sed vndè proceſſi, vt reuertar, tot Ioannes conſultationibus aſſiſtens, tàm magna modeſtia, quàm pari doctrina magnes euaſus non vota ſolùm, ſed omnium ſecum trahebat ſic corda, vt illum nullus iam eſſet, qui pro meritis inter Purpuratos non vellet. Iulius præſertim Ro-

ſpylioſius, qui omnium nomine non ſemel auditus, ſic Ioanni pileum deberi Cardinalitium, vt neglectæ attribuendum virtuti niſi daretur.

Manuductionem ſuam ad Deum inter hæc prælo commiſit, paruulo in libello omnem philoſophiæ Chriſtianæ tota & Gentilium, & Chriſtianorum moralitate emedullatá, non tàm exhibens diſciplinam, quàm ſuarum virtutum imaginem referens. Hoc opuſculo ſacros poſt libros, veteres poſt Patres, nihil pretioſius Orbis Chriſtianus habuit, quippe quē cuique perſonarū ſtatui conuenientem, omni hominū ordini communem, & facillimę reformādis moribus methodi, translatoribus adhibitis nulla gentium linguâ non ſuum ſibi noluerit. Hunc multi Thomæ à Kempis Enchiridio

passim ex æquo faciunt, alij, quos stylus, sententiarumq; alliciunt pondus, passim præferunt, omnium tamen eadem sententia est, & quo laudatur stylo, & quibus redundat Christianæ virtutis documentis ad omnes perennaturum ætates. Sic Ioannes publicis rebus adhibitus tùm virtute, tùm typis apertiore iàm fama maior, tantam apud Alexandrum creuit in gratiam, vt illi intimus fieret, eiusdem arcanorum particeps, & Consul, dignus, qui ab eodem tàm magni æstimaretur, quàm diligeretur impensè. Nulla iam Alexandro dies currit, quam Ioannes non exhilaret, omnium si Ecclesiarum maxima obnubilet solicitudo; quam Ioannes non contemperet, æstuantem ardua si negotia faciant; quam Ioannes non

beet, totius si Christiani orbis infelicitet cura, tam Quirinali in domo fessum sub pondere subleuans, quam inter Albani secessus respirantem oblectans. Hoc tanto in bono lumine locatus Bona, summis occupatus in rebus, & inter Alexandri familiares, vel prudentia eximios, vel doctrina magnos, vel amore, vel existimatione nulli secũdus, eã semper animi, & mõderationem retinuit, & modestiã, vt vnus ab singulis proclamaretur, qui ad summos Aulæ accitus fauores, aulicorum sibi cauisset fumos. Rem hanc nullus expertus non est, cui apud Pontificem opus esset Ioannis opera, nemini non serenæ frontis, nulli non facilis conuentionis, omnibus obuij, quibus minor præcipuè arrideret fortuna, aut maius aliquod aduersaretur in-

fortunium. Hanc quoque laudem apud suos meritus est, nam seruato illis eodem semper vultuum tenore, nihil magis, aut ab Aulæ applausibus fastosus, aut nihil ab summi Pontificis assidua consuetudine minùs humanus, tanta sic omnes antiquo pro more amplectebatur benignitate, facilitate, serenitate, vt amaretur chariùs semper, ampliùs semper venerandus. Summam ad vrbanitatem facto, tanta nihilominus in vultu maiestas, in dictis, factisque grauitas inerat, vt eo coram, præter grauia, præter seria, aut eruditis digna viris, aut promouendæ apta virtuti proferre in medium sanioris mentis nullus auderet. Huius rei te testem appello Eminentissime, Ioannem Generalem per id tépus suæ Congregationis Abbatem

ſolius nominis fama pernoueras, quem ad te efflagitaturus ab eo domeſticæ Floræ tuæ augendæ tùm Anemonarum radices, tùm Tuliparum, aliorumque cuiuſque generis florum tubulos, quibus ſubiectum illi Diui Bernardi ad Thermas nuncupatum Cœnobium, tàm ſpecie diuerſis, & venuſtate, quàm numero plurimis abundabat, cùm primũ accerſiſſes, illius vultuum maieſtatem intuitus, ac totius corporis habitum ſummæ modeſtiæ confinia, ratus tantã viri grauitatẽ floſculorum ſermocinatione læſam iri, florum inſtantia, quam animo conceperas, præfocata, pauca eum officij cauſa allocutus, miſſum feciſti. Concuſſos porrò hos tua in mente flores, ac ſilentio ſepultos reuiriſcere nunc maiorem Ioannis ad gloriam, indi-

ces vt potè eximię tuæ in illum, illiusque in merita venerationis,sicut inficiat nemo, sic eosdem quoque internam virtutum tuarum expirauisse fragrantiam, non est, qui ambigat. Odorasse te enim primo Ioannis occursu, soloque aspectu arcanas eiusdem animi dotes, sagacitatis tuæ magna laus fuit;at odoras, quod florũ omniũ oblitus,reueritus fueris,omnẽ excedit laudem. Arctissimæ amicitiæ fructus inter Te, & Ioannem peperere nusquam hi culti, quinimo neglecti flores, iisque attribuenda, & magna tibi cum Ioanne consuetudo, & iucundissima vtriusq; frequentiora colloquia florum, & fructuum plena, quibus alter alteri floridum sapientiæ ver fieret, maturusque virtutum Autumnus, geniorum & similitudine Pol-

lux ille Tibi, Tu illi Castor. At comitem grauitati graduum quorūcumq; ac dignitatum contemptū Ioannes habuit. Paucorum est pręsenti non abuti fortuna, vt hanc sibi cōcilient, ab eis si abeat, vt sibi hanc prorogent, si adsit, huic studio maiore hominū incumbente numero. Sunt qui Principis, cui inseruiunt, fauores aucupantur ab gradu, quem consecuti sunt, ne excidant; sunt qui ab eisdem opem flagitant, vt quas consectantur, adipiscantur dignitates. Harum omnium victor Ioannes fœdarū cupiditatum, cùm nihil negaturum sibi Alexandrū pro certo haberet, quod creditæ sibi Congregationis vel minimum derogaret libertati, rogauit numquā; oblatam quinimo ab Alexandro sui Generalatus prorogationem audire non passus, sic hanc eidē
 exo-

exosam sibi indicauit, vt irritam obtinuerit, quam tamen non tám oblatam iterùm, sed iàm sibi præceptam recusare non fuit ausus. Prout accidit, referri rem libeat: Comitiorum appropinquauerat tẽpus, de qua re, cùm Ioannes corã Pontifice absentiam sibi per mensem plùs minùs rogaturus sermonẽ fecisset, nihil moratus Alexander, atqui iam rei, inquit, prorogato ad triennium horum Comitiorum tempore, ne te neque per diem amittamus, prouisum; huius propterea omnem exue curam. Consternassent Ioannis vultum hæc verba, ni motus, quos illa in animo iàm excitauerant, prodire palàm magna eiusdem vetasset virtus, qua etiam factum est, vt ille submisso capite dictis, quibus mox obniti meditabatur, eo coram assentiri

dissimulauerit. At extra iam aulam facto, remque totam sua ponderanti lance, internis se se conflictationibus prodeuntibus, totus est in vultu animus se ipsum tanquam in speculo mœrentem, & quodam veluti fulminis tactum ictu attonitum exprimens. Adire deinde amicos, quos ab Alexandro reluctandi muneris sibi impetraturos veniam valentes putaret; apud ipsos hanc sui officij, cui se tot Congregationum negotia, tot rerum aliarum commissa cura, quotidianus ad Pontificem accessus, & minor, quod omnium summum erat, valetudo imparem fecissent, continuationem conqueri, eosdemque consiliarios non optare, sed auxiliarios, obsecrans omnes, & contestans, hanc ve-

prorogationem valida eorumdem supplicatione ab ipso omninò auerterent, oneribus oppressum ni vellent. Rogati ab Ioanne huius rei intercessores inter Eminentissimos Sfortia Pallauicinus, inter Prælatos Prosper Fagnanus, quos pro Ioanne oratores cùm Alexander perhumaniter excepisset, excusatione accepta, prorogationis mandatum, hac tamen lege, vt suspensis comitijs, Ioannes sibi successorem ab Apostolica Sede confirmandum deligeret, retractum iussit. Nouo hoc Ioannes lætus nuncio, sibi vtpotè minùs graui interpositæ conditioni facturus satis, mihi iussorum omnium adhuc inscio ad se aduocato, quod actum fuerat proposuit, meam, vt ritè reliqua agerentur, interrogaturus sententiam. Hæc aduersùs om-

nia toto aduersanti animo, qui mihi vultus fuerint, quę oratio, quod verborum pondus hic recolere necesse non est. Obrigueram diù silens, sed mox longiùs in oblatam nominādi successoris conditionem, iàmque admissam, acriter, vtpotè magnarum difficultatum, ac periculorum plenam perorans, obiectis ei hinc excludendorum, in quod incideret odio, vnus ipse vnum si omnibus præficeret, audiendis hinc si ex nominandis abs se aut minori prudentia, occulto aut vitio, minùs quàm ipse sperasset, communi bono res prosperè cessissent, & quæstubus, & murmurationibus, memoratis quoque, quæ sibi certò ex ijs omnibus exorirentur, mœrore inconsolabili, inutilique pœnitentia, Ioannem non modò ab inceptis

abstraxi, sed et eidem excusatam iàm summo Pontifici satis feliciter acceptandam suasi prorogationem. His intereà per me ipsum, qui mihi huius rei curam assumpseram, Fagnano, & per Fagnanum Pontifici relatis, expeditoque ab Alexandro statim diplomate, nullus feré Monachorum fuit, qui mihi hanc Ioannis prorogatam non gratularetur dignitatem; qui Ioanni sublimiores non ominaretur gradus, quippè cui ijs consequendis nulla non inessent, non probatæ virtutis merita, non cum probitate vitæ sapientia, non digni suo præmio labores, summa non tandem in ipsum Alexandri omnia, genius, beneuolentia, studium. Sed Monachorum auspicio non multum post arrisisse Cœlum visum

fuit, nam viduata per id tempus ſuo Paſtore Aſta Pompeia, Carolus Emanuel II. Sabaudiæ Dux, & Cypri Rex Ioannem, ſibi iàm multis notum titulis & charum, quippè quo conſulente, & cooperante, Mariam Ioannam Baptiſtam à Sabaudia, ſponſalibus cũ Lotharingio Principe diremptis, regalibus nuptijs ſibi copulandam ab Alexandro obtinuerat, illius Vrbis in Epiſcopum, reſcripto regio ad ipſum miſſo, nominatum voluit. Tanta huius in honoris ab Regio Duce oblata ſignificatione, quid ſibi agendum foret, aut amicorum conſilio, aut longiori ſecum ſibi conſultatione, Ioannes non eguit. Virum magnum diuinarum rerum, ac humanarum haud non conſultiſſimum latere non poterat, quanta Epiſcopis ab-

misero vbique rei Christianæ statu, ab corruptis circumquaque sæculi moribus, aut amittendæ summorum Principum gratiæ, aut incurrendæ vnius Dei offensæ eminerent pericula. Quàm grauia prætereà sibi futura essent, oneri specioso si collum dedisset, tantarum amplissimæ, & disiunctissimæ Diœcesis Ecclesiarū solicitudo, præstanda ab se egenis opes, infirmis subsidium, oppressis patrocinium, sapientibus omnia Christianæ virtutis exempla, insipientibus vitiorum nulla non remedia, qualeque districtum, aut neglecti regiminis, aut vnius non recuperatæ ouis maneret sibi expiranti subeundum iudicium. His addendum anteferenda honori cuique, & dignitati Regnantis Pontificis Alexandri, qua ipse tantoperè

hono-

honorabatur; abrumpenda tanto locorum interuallo familiaritas, euitando cuius rei incommodo non Vrbis Astæ modo, sed cuiusque alterius ditissimæ Ecclesiæ Ioannes insulam repudiaret. Hæc omnia vt vno oculorum ictu ille intuitus est, meritis, debitisque suo Principi gratijs humanissimé rescriptis, excusatioeque non acceptandi honoris efficacioribus verbis interposita, non tam sibi exaudiri meruit, quàm laudari. Chariorem, honorationemque huius honoris ab despectu Alexander habuit, virum vt potè, qui contemneret iam omnia, ne ipsius non incumberet seruitio. Mirum quàm sibi apud omnes hac pedi aspernatione authoritatem cōciliauerit, & existiamtionem, dignus nullis non visus vel hoc dignitatis

ab despicatu, cui merita & ex alio capite exhiberetur purpura. Consulere iàm ipsum, & venerari viri tùm dignitate, tùm probitate, ac doctrinâ præcipui. Tu vnus super omnes Eminentissime, dum omnium voto Purpuratus salutabare, sed solo merito; non minùs morum integritate, sapientiæ titulo, diuinarum, ac humanarum cognitione, & omnium virtutum splendore tàm Ioanni compar, quàm ille tibi. Colere & ipsum consiliaque exigere ex purpuratis Medicei, Estenses, Rospigliosij, Pallauicini, Nerlij, Nini, alijque plures, quos recensere locus non patitur; Literatis ex illustrioribus Casanatta, ad purpuram deinde ab Clemente X. assumptus, Allatius Leo, Riccius, Fauoritus, Holstenius, Slusius, &

alij

ſexcenti moribus æqué, ac doctri-
na inclyti, quibus hæc vna omni-
bus mens erat, vt ſumpto niſi Ioan-
nis oraculo graue tentarent nihil,
quos erga ille viciſſim ſeruata in
conſultationibus fide, in obſequijs
comitate, in colloquijs modeſtia,
ingenuus omnium famulatur ge-
nio. Verùm in multo ſic diſtra-
ctus, & in multa, ita tamen num-
quam ab vno, qui omnia continet
diſiungitur, vt ei vbique præſenti
aut cultu, aut calamo non ſeruiat;
Publicata hoc tempore ab eo Aſ-
cetica de Miſſæ ſacrificio opella
vſui ſuo multo ante lucubrata, vt
ad cœteros quoque omnes, vti hac
qui voluiſſent, ijdem redundarent,
quos ipſe ab ea percepiſſet fructus.
Sacra quotidie nullo intermiſſo die
operabatur, at occupatiſſimo quam-

uis nulla vnquam post quietem prior occurrit occupatio, quàm vt dignam atæ orando, flendo, meditando animi assequatur puritatem, victimam altissimo Deo se exhibens antequam altari Sacerdotem. Nocturno ab Choro negotiorum causa, & studiornm exemptus, nisi antelucanis precibus absolutis cubitum se recipit nunquam, surgensque nihilominus ad primum semper euigilandi crepitaculi signum, nihil aut cogitare, aut moliri, ni prius sacrificando Agno immaculato cordis sui thalamum abstersisset lacrymis, accendisset igne, exornasset gemmis, atque ijs hora semper incumbens feruidæ charitatis oculis plusquam corporis totas ferè huius libelli exhauriebat pagellas. Nemini porrò opusculum dicauit, ne

vni inſcripſiſſe videretur, quod omnium vſibus deſtinatum voluit, quibus mandatur ab Apoſtolo, vt non niſi probati Dominicam manducent cænam. Sed iam aut Sacerdotem, aut alium quempiam, qui latinas calleat literas, vix inuenies, cui non inflammet hic libellus, vel ſacrificaturo, vel communicaturo ad pios omnium virtutumaffectus voluntatem; ad omnia fidei myſteria intellectum non illuſtret, hunc quidem, quà ſacrificij, quà ſacerdotij ſuper omnia dignitatem ſuper exaltat, illam verò, quà omnium virtutum expreſſiſſimos, feruentiſſimoſque refundit actus. Verùm, ne me longiùs ferat libellus, ad texendam hiſtoriam reuerto, Ioannem iterúm magnos inter fluctus relaturus.

Ortam ſibi Ioannes tempeſtatem, vndè quiſque alius eximiam meritus fuiſſet laudem, obſtupuit. Turbini materiam dedit noua Breuiarij Ciſtercienſis minùs laudata, ab Ciſtercij Abbate impreſſio, quæ ipſo neque antiqui ordinis titulo retento, adeò multa Sacræ Rituum Congregationis regulis aduerſantia retulerant, adeò probatiſſimæ antiquitatis pauca ſeruauerat, vt ea vti ſede Apoſtolica inconſulta, Tridentinæ refragarentur ſeſſiones; Hanc tamen vſurpari hortabantur, & ferè cogebant, & quod nullibi alia Ciſtercij Breuiaria proſtarent, & quod antiqua, quæ Choris extabant, eóuſque longo vitiata eſſent vſu, vt magno Monaſticæ rei ſacræ tum dedecore, tum incommodo legi nequirent. Vtroque igitur Io-

annes ſuos exempturus hoc malo, Hylarione Rancatio eiuſdem Ordinis, viro tam pietate, quàm doctrina omnem ſupra laudem ſummo, conſulente, ſupplici Sacræ Rituum Congregationi porrecto libello reſcriptum impetrauit rei præſenti opportunum equidem, ſed ijs, quos afficiebat, minùs quàm credi poſſet plauſibile. Relato namque Sacrę Congregationi memoriali, quem diximus libello, Eminentiſſimorum Patrum, voto tam Ioannis, quàm Hylarionis adhibito, ea omnium mens fuit, vt antiquo Ciſtercienſium Breuiario derogato, Monaſtici eiſdem, ab Paulo V. ijs, qui Benedictinæ Regulæ dediſſent nomen editi publico Decreto, & ſuaſus vſus foret, & præceptus. Hanc Sacræ Congre-

gationis sententiam fulmen non credidisses, cuius ictu montium cacumina, & pagorum pulsantur, sed plenum igne cuniculum, quo accenso nihil non nutat, nihil non collabascit; non paruum, non modicum, non maximum. Malis vndique Bona proscinditur, & vna in ipsum omnium conspiratione læsæ antiquitatis reum non conlatrat nullus, licitum sibi ratus quisque in eum irasci, qui nouam psallendi legem introduxisset antiquæ iniuriam. Sub initium molliùs omnes Ioannem conqueri, declinandæ nouitatis spe nondum desperata; acerbiùs deindè obtrectari, ipsa parendi iam necessitate compulsi, reluctari illi demum tum literis, tum libellis, tum ad Sacram Congregationem prouocationibus exorato

decreto, quid quid omnium mens ſuggeſſiſſet, opponentes. Refugit omnia referre calamus, ſed & relata æterno tumulaſſet ſilentio, niſi gemina ijs ſcribendis pruritaſſent argumenta, alterum quo hac ſolemni ab impugnatione ſacræ defendendæ antiquitatis ex ſtudio Monachos excuſaret, alterum verò, vt obiectantium conatus Ioanni in laudes conuerteret. Nam Ioannes tanta in fluctuantium procella tam ſibi fortis, quàm pius ſuis, nec ſe deſerens, nec ſuos culpans ſic ſtetit, vt cauſæ iudicibus excellentis animi, & parti aduerſæ ſummæ moderationis exemplum fieret. Confirmata inſuper nouo Decreto priori derogatione, & iuſſo expreſſiùs Benedictini Breuiarij vſu cùm contradicentium primario ab Emi-

minentiſsimo Sacræ Congregationis Præfecto, vt læſæ venerationis apud Ioannem noxas lueret, præceptum eſſet, ea hunc Ioannes tum animi; tũ vultuũ amplexus eſt benignitate; quam maiorem ab genitore non requiſiuiſſet, clementia triumphare mallens, quàm aſperitate. Idem omninò omnibus præſtitit, quod vni huic, & libertate, licentiaque tàm libellorum, quàm literarum diſſimulata, linguis parcens, & calamis, Patris vbique ſibi vindicauit nomen, non vindicis; quo factum, vt reddita poſtliminio pace, nouo is amaretur titulo, qui olim multis diligebatur, quin & nouos quiſque laudaret ritus, quos olim omnes criminabantur. Hac tanta humanitate temperatum, atque iam virtutum omnium experimento illu-

ſtrem, Flauio Chiſio Nepoti Eminentiſſimo, celeberrima Legatione Chriſtianiſſimum ad Regem nauigaturo in Galliam, Theologum Alexander deſtinauerat; ſcitus magni tantæ legationi ſplendoris fore, nobiliſſimo ſi comitatui Ioannem adderet, tùm prudentia, tùm pietate, tum doctrina toti iam Galliç notum; ſummam quinimò ſe excuſanti imperaſſet prouinciam, ni minùs conſtans Ioannis valetudo, abundè ſatis eum excuſatum imperanti feciſſet. Hanc etiam ob cauſam delectus, vt magnam Camaldulenſium Pontificia auctoritate Eremum viſitaret, ſacroque loco pacem componeret, iter declinauit, & munus. Fulciendæ intereà Ioannis valetudini ſtudiorum aſſiduitate, ac negotiorum periclitanti at-
ten-

tentior Alexander, quàm suæ ipsius, interdicta ei nec petenti, nec cogitanti omnis regularis, & monasticæ obseruantiæ aspetitate, multis Apostolico diplomate confirmandæ saluti opportunis priuilegijs non tam decorauit, quàm munierit. Cibos vesci quadragesimales omninò vetuit, linea laneis addidit, ieiunij omni ab lege soluit, quibus omnibus Ioannes sic parcè vsus est, vt ea sine scrupulo quidem admiserit, sed vix non nisi extrema aliqua necessitate compulsus. Tam cibi, quàm vini parcissimo famem minùs, quàm semipanis per diem cum pulmento, paruoque paucarum vnciarum obsonio, sitim verò sextarius, item per diem explebant, minori etiam sæpè tam potus, quàm esca ob stomachi debili-

bilitatem, seu pondere adhibito, seu mensura; Mirum animaduertentibus erat corpus proceram staturam attingens, sanguineiq; temperamenti, & studiorum ferè semper occupatum laboribus, tanta alimentorum parcitate non defici. His interim, quæ memoraui, cum Ioannes vteretur priuilegijs, nec valeret amplius, regularibus monastici instituti functionibus adesse; generalibus, sic Alexãdro eiusdem precibus victo iam, & fatigato permittente, coactis comitijs, quam multum antè enixiùs desiderauerat, summi regiminis vacationem adipiscitur. Visus sibi hac vacatione obtenta renasci, quippè cui hoc liberato ab onere, & soli Assistentatus otioso ferè muneri obstricto, præstare cætera, quæ multa sibi,

&

& grauissima ab Pontifice, á Sacris Congregationibus, ab amicis non Romæ tantùm, sed vbique gentium degentibus committebantur, iam leuius esset. Tribus annis minùs sic aggrauatus orbi circumquaque prælucens vixit summo in Vrbe in honore habitus, post quos cum iterúm celebranda Florentiolæ aduentassent Comitia, Alexandro longiorẽ eius ab Vrbe absentiã vetante, coeuntibus cœteris, ipse Romæ remansit. Ne autem communi bono, cui numquam studiosissimus non fuit, etiam absens non prodesset, multis mihi per literas communicatis, hoc insuper me enixissimè orat,& vicibus sexcenties repetitis obtestatur, vt omni cura, omni titulo,apud congregatos exoneratum velim. Hoc quoque illi

suo

ſuo pro voto conceſſum. Nam me in Abbatem Generalem electo, & Ioannis cauſam procurante, toti viſum cœtui hunc eumdem negotijs Eccleſiæ implicatiſſimũ, liberum, vt precabatur, ab omnique munere immunem iuri ſuo relinquere, ſoloque Abbatis titulo, qui tunc illius in gratiam cœpit, honeſtare. Qui verò ille mihi Romæ ſupremi honoris maiori viribus ſub onere, tum opere, tum conſilio fuerit, ſuperuacaneum eſt dicere. Nihil enim cum olim fuerit, quod mei cauſa non libentiſſimè faceret, maiori nunc ope indigenti, ſic tum conſilio, tum opere adfuit, vt nulla mihi non proſperaret negotia. Sed & Alexandro ageuti animam Ioannes iam adeſt, occiduo ſoli eclipſatum sydus, poſtremà Mæce-

pati suo adhibiturus seruitia: Quē enim Pontifex ille nullo non titulo maximus egregia ob magnæ indolis, iudicij, ingenij, sapientiæ, modestiæ merita familiarē, & domesticum sibi regnans voluerat, throno iam cedens, & mox vita cessurus, vt eo in mortis conflictu solatorem haberet, accersitum & præsentē non noluit. Id Ioannes sic forti præstitit animo, ad se ac si non pertineret acerbissimus, quo vulnerabatur tam de se benemerentis Pontificis ab iactura, ictus. Mœruit equidem optimum Ecclesię ereptum Principem, suum virtuti extinctum remuneratorem, Maiestatem throno, moderationē sceptro, Vrbi columen, Orbi delirium peremptum, sed statim mentis acie vltra nubes euecta, cum suorum

iam laborum, & magnarum virtutum æterno fruentem præmio tuetur, mœroris pœnitens triumphanti Ecclesiæ magis congaudet, quàm militanti condoleat. Alexandro sic igitur mortalitate exuto, sedemque Petri Clemente IX. fausto implente omine, rerum Ioanni, vt ijs contingit, qui Principibus inseruiunt, quos non originis ratio, sed eligentium hominum voluntates euehunt mutatur scæna. Abstineri tum demum ab aula, solisq; Sacrarum Congregationum negotijs vacans, nec ad Quirinalem accersiri, nec ab aulicis excipi, nec in summi Pontificis conspectum admitti, ac si Clementi IX. penitus non innotesceret. Admissionem ad sacrorum pedum oscula iam sibi decies rogauerat, qua nec sibi deci-

mum

mùm concessa, vt vel saltem semel Pontificis frueretur colloquio, toties ab priuato exclusus, tentato publico, magno viro turba aditus facilitante, potitur tandem, quem frustrà huc vsque ambierat, aspectu. A Clemente summa pro ingenita benignitate receptus, multiplicique laudatus encomio, ipseque illi vicissim adeptam gratulatus Thiaram, prosperumque, & æuo æquale ominatus imperium, nihil sibi præter benedictionis Pontificiæ beneficium deprecans, reiterata post pedum oscula numquam amplius admittendus dimittitur. Aulæ Pontificiæ absentato sic Ioanne, suspicaretur, qui reconditos esse Principum affectus nesciret, diminutam Clementis erga Ioannem tum existimationem, tum beneuolen-

tiam, quod tamen tantùm abeſt, vt nec veriſimile comprobaretur, paucos vt poſt dies erectæ Indulgentiarum, & Reliquiarum Congregationi Pontifex pro ſuo in illum ſtudio Conſultorem cooptauerit. At mira admodùm res fuit, Clementem tantam Ioannis abſentiam toleraſſe, cuius adeò & pleniore ore, & frequenter tùm vitæ probitatem, tum ſapientiæ experimenta collaudauerat, vt certam audientibus de eo Cardinali creando ſpem fecerit. Sunt qui hanc tolerantiam ſummæ Clementis attribuant prudentiæ Ioannis familiaritatem cauentis, vt illi anteuertendæ purpuræ, vt ſemel iam euenerat, omnem adimeret occaſionem. Sunt qui fortuitò accidiſſe autument, id tum magno Clementis animo reconci-

ciliandis Regibus, armandis in Turcas Principibus, Cretæ ab hostibus defendendæ, audiendis populis, visitandis ægrotorum hospitijs, excurrendis Sanctorum Martyrum sepulchris occupatissimo semper, tum Ioannis genio ab aula frequentanda alienissimo, ascribentes. Sunt & alij, qui istorum nulli assentiuntur, varia pro cuiusque iudicij libertate sentientes, quæ narrare nimis longum esset. Certa tamen hæc vna omnium opinio fuit Ioannem Clementi, & nuper Cardinali, & Pontifici maximo deinceps, inter sibi commendatissimos nulli secundum extitisse, quippé cui virtutes omnes egregiè inessent, quæ ipsum nullis non Principibus commendabilem facerent. Alterum ante annum, Cardinalitiam huic, ad quam dein-

dè eum assumpsit, purpuram iam Pontifex excogitauerat, quod cum sibi intimo patefecisset Cardinalium alicui, ratus is rem sibi fore perutilem, si Ioanni innotesceret, quàm laudatum á se hoc Pontificis propositum, quanta deprompta item in eius laudem encomia, quæ vt propositum promoueret; recitasset eius merita, quas, vt idem solicitaret, reiecisset rationes, eo ad se accersito, per ordinem eidem ex animo congaudens horum singula indicauit. Ad hec dixisses, Eminentissime, nihil Ioanni anteacta in vita accidisse funestiùs; pallet vultus, tremunt artus, ruiturum ac si Cœlum quis illi minatus esset. Reluctari Pontificis proposito, & Cardinalis commendationi parauerat, sed huic ille verba subitanea inter-

cipiens dimissione, eumdem nedum loquentem, expectari illo momento ab Clemente fassus, valere iussit. Prosternatus Ioannes animo Monasterium redit, Cubiculumq; deindè ingressus, reassumpto paulatim spiritu, omni ad consilium cogitatione vocata, excusationes, quas Eminentissimus, cuius nomen consulté tacetur, afferri vetauerat, fidæ paginæ eidem mittendę committit. Pinxit in ea se totum Ioannes penicillo vsus nullo, quàm quem sibi ingenuus animus præstarent, & summa modestia. Consumptos annos in studiis fatetur, sed longè se minùs quàm percrebuisset fama, sapientem, vt potè hoc titulo mediocribus minorem. Præter doctrinam, alia in purpurando perquiri multa, prudentiam Eminentissimo

dignam titulo, solertiam aulæ astubus parem, quorum sibi, viro quippe ab ineunte ætate intra claustrorum solitudines sepulto, nec radices vigescerent, nec rami. Expectandum sibi ab claustris, si abstraheretur altiorem ad statum promouendus, id prorsùs, quod ijs vsu venit, qui quorum linguam penitùs ignorant, terras incolunt; tàm enim idiomatis Aulæ, quàm rationis rudi omninò, summo suo dedecore improspera sic cederent omnia, vt hanc sibi procuranti illud improperari meritò posset, eleuans allisisti me. Addidit nihil magni ab eo summa in dignitate sperandum, qui tertium post quadragesimum iam annum Monachus, vt sibi contigerat, perfectam Monachi nondum egisset personam; quamobrem, &

præesse suis numquam nisi coactus assentiri voluisset, & oblatum sibi Astæ Pontificium tam respuisset auribus, quàm fugerat animo, quocumque à præsulatu tàm genio abhorrens, quàm cuique ineptus. Hoc idem prosequens argumentum sexcentas similes defugiendo honori aggerans rationes, & ingerens; ingenuam fassus genitoris nobilitatem inter Patriæ Ciues commendabilem, popularé genitricis, vnde sibi exortam agnosceret infimæ sortis propinquitatem, accusat genus. Subiuncta hinc, & obiecta nudo homini immensorum sumptuum impotentia, Eminentissimum per Sanctos, per Sacra, auertere ab ijs animum, & sua se in vocatione relinqui obtestatur.

De-

Demum pro literarum coronide vt aliquod adijceret suo effectu non frustrandum; obsecro, inquit, Spiritum Sanctum; vt aut aliam, tibi suggerat de me extollendo mentem, aut mihi ne extollar, vitæ annos decurtet; mori enim mihi dulcius erit, quàm ad dignitatem assumi; cuius vsibus impares mihi præsentio vires. O Epistolam Apostolico Viro dignam, quæ ab ijs legi dignum esset, quibus assequi purpuram, plus cordi est, quàm mereri. Huius rei pro mea erga eum fide, & pro suo in me studio conscium me voluit Ioannes, quem cum de re aliqua harum literarum obliteranda, nocitura nihil si taceretur, admonuissem; Parce amico, inquit, addam potiùs si quid anteuertendo honori idoneum mihi suggeras. Creditum por-

ro hoc mihi ab Ioanne arcanum; nunc primùm Eminentiſſime, in lucem profero, vt tanti viri nullo non orbi cogniti, nulla non virtute inſignis, tum pietate, tum doctrina inclyti, juncta ijs omnibus ampliſſimâ animi & æquitatem, & modeſtiam, & rerum, ſuique contemptum ſummé ambientibus imitanda exhiberem. Quid autem Ioanni hæc literarum profuerit humilis ſuæ inhabilitatis confeſſio, nota res eſt. Hanc vel ob ſolam, alta deeſſent ſi merita, purpura dignus habitus eſſet, ſed hanc tandem induitur, cum enim Clemens tertio Pontificatus ſui anno, magis Creta expugnata, quàm morbo ferè confectus, vt illuſtribus anteactis in ſuo Pontificatu facinoribus vltimi vitæ reſponderent actus, Ioannem quem toties magnis eue-

xerat laudibus, purpura dignum abs ſe proclamatum non ſemel, ampliſſimis cum ſex alijs omni exceptione maioribus viris conſultiſſimò Purpuratorum Patrum Senatui, Vrbe acclamantibus, & Orbe, tertio Kalendas Decembris adiunxit. Quis hic dies Romæ illuxerit, & qualiter huius iſtius creationis nuntius ab omnibus omnium ordinum hominibus exceptus, te puto memoria tenere, Eminentiſſime, qui maximus publici gaudij ſupra omnes particeps, communis comprobationis maior omnibus commendator, apertarum totius Vrbis acclamationum, non inter admiratores vnus, ſed inter acclamatores multiplex gratulabundus ſingulis adfuiſti. Et quidem Pontifici gratulabaris primùm, qui Ioannem tandem ſuo locaſſet

in lumine, purpurato Collegio deinde nouo hoc iam splendore aucto; hinc Vrbi voto iam suo damnatæ; hinc Orbi expectationem suam iã consecuto; hinc Ioanni digna meritis suis remunerato mercede; ac tandem tibi ipsi quod Purpuratum amplecteris amicum, olim virtute omni Tui similem, & sola nunc purpura ab Te diuersum? Longiùs ego aberã, affare tu si visa vnquam post inductũ in orbem Purpuratorum ordinem hac Ioannis promotio plausibilior; si accensi publicæ lætitiæ festiuiores compitales ignes; vibratæ si per auras sulfurati pulueris lætiores acontiæ, frequentiores adhibitæ si alibi gratulationes. Iuit ad Thermas Vrbs tota, illius osculatura manus, cui opperiebatur vno concurrentinm omnium voto de-

osculari, pedes tantoque ille cuiusque hominum status implicatur cócursu, vt suos non nisi quartam noctis post horam ad sui conspectum gratulabundos admiserit. Hoc tamen solemni in gaudio, & communi solus Ioannes amissam sibi mereri tranquillitatem, seiunctam a se dolere stationem, aduentitij honoris collacrymari onus, & amarè sic conqueri, ac si mala sibi oblato cum pileo aduentassent omnia. Hæc autem coram & suis, & familiaribus apertè, obuiantes verò cæteros sic composito ad omnem humanitatem recipiebat vultu, vt nec ingenitæ sibi modestiæ, nec mutato nunc statui detraheret quicquam, aculeis quibus intus feriebatur, omninò dissimulatis. Recurrunt ad Ioannis mentem nunc pri-

múm entheatæ monialis, quibus omnem ille negauerat fidem, purpuratarum rosarum vaticinia, rosasque illas veluti sibi ab cœlo dimissas gentili in parma leoni, prædiuinati honoris in monumentũ, additas voluit. Clemente IX. vita functo, vt pauci essent, qui Cardinali Bona in futuris Comitijs, ferèque presentibus Summi Pontificij non augurarétur dignitatẽ, sic ab multis seu captandi animi, seu subleuandæ inopiæ gratia, oblata ei magni põderis auri, & argẽti munera, & exhibitæ annuæ pensiones, quibus ille, gratijs cuique actis, cõstãtissimè sua pro magnanimitate recusatis, missam sibi dumtaxat ab Rospyliosio rhedam seiugem, ab Chisio Sacram Cardinalitij Sacelli suppellectilem, amoris, & reuerentiæ erga ipsos in signum, retinuit.

Num-

Nummorum, & ipsi Antonius Barberinus sic munificus in Ioannem, vt amans, quatuor millia obtulerat, quos ille cum semel, & iterùm præsenti indigentia accusata forti animo remisisset; generosa alter, & pari obstinatione, summam apud Sancti Spiritus mensularios nō sui, sed eiusdem Cardinalis Bona sub nomine deponi curauit, quam deindé Bona eiusdem Barberini post obitum ad munificæ liberalitatis exemplum, Patribus, quos Missionarios appellant, pauló antequàm supremum obiret diem gratuitò concessit. Adest sed iā interregni Comitijs purpura quidem nouitius, sed obeundo muneri, cui cum cæteris eiusdem ordinis Ecclesiæ Cardinalibus incūbit vix ab omnium peritissimo secūdus. Qualem illuc tot inter mundi

lumina; tot inter probatissimos in omni virtute viros personam egerit, qua sit vsus in consulendo & prudentia, & modestia, qua animi, qua verborum ingenuitate cuique obeunti se dederit, qua tum comitate, tum beneuolentia succedentibus per vices sit functus munijs tecum loqui superuacaneum arbitror. Pontificiorum enim comitiorū custos summam ad tuarum virtutum laudem cum esses, quin hæc omnia tibi de Bona tam altè benemerenti relata fuerint, suadebit nullus. Qualem dicebam, is erat Ioannes in Vaticanis Comitijs, interque purpuratos sibi dignitate pares; quis autem foris per omnium ora, & ad omnium aures foret, qui de illius religione, de pietate, de vitæ sanctimonia sermones; quibus per do-

mos, per compita ab omnibus implenda ſede dignus extollebatur, quæ ex eiuſdem ingenio, eloquentia, omnis generis doctrina, arcanarumque eruditionum copia, concepta exaltationis ſuæ ab Vrbe, ab Orbe ſpes, quæ carmina vbique gentium, quo tempore petulantiſſimorum hominum in viros Sacros, ſummaque virtute præditos inſaniebat licentia, bacchabaturque, in eius diſſeminata laudes maiora ſunt, quã dici poſſint. Inter multa, quę tùm Muſis Etruſcis, tùm latinis hoc interregni tempore iactabantur de Ioanne vaticinia, hoc vnum ſalis abundans, quod tibi Eminentiſſime ſubijcio, bona dicentis Poetæ Epigramma prætetire crimen eſſet.

Grammatica leges plerumque Eccleſia ſpernit,
Forte erit, vt liceat dicere Papa Bona:

Vana

Vana solæcismi ne te conturbet imago,
Esset Papa bonus, si Bona Papa foret.

Verùm quem omnes, quos Pontificis adoratio decet, non electio, Pontificem voluissent, is ab eis, quibus eligendi summa potestas ne Pontifex fieret, quod bonæ existimationi innocuum esset, nihil infectum sustinuit, quos sibi promouendo auersos suspectaret, modestissimis salibus, vt sibi ipsis cauerent, promotionis suę suspicionem augebat magis quã adimeret. Quos amicos nosceret, suæque exaltationi studiosos, vt magno ab facinore auerteret, dictis, factis, scriptis, conatuque omni remoliebatur. Semel cum inter præfatos primo loco aliquando absentium vota recollecturus discurreret, heu vos subridens, inquit, diutiùs in eligendo

Pontifice cur moramini? me aſpi-
cite albo iam ex toto; vt ſim Pon-
tifex ſola deeſt Pontificalis carbaſi-
na. Aliàs quoque duos inter eiuſdē
animi Cardinales Diaconali titulo
inſignitos medius ambulans, & hos
vt ſale admonitos faceret, hilario-
ri iam vultu, quis me futurum ait
Pontificem negabit, qui iam ve-
ſtrorū gratia Diaconibus vtor. Ioco
ſic auerſis conſulens, ſeriò amicos,
& grauiter ne ſibi ſuffragarentur in-
terpellare, ne longiùs ſui ſtudio e-
lectionem protraherent obteſtari,
ne Eccleſiæ tot incommodis opreſ-
ſę, religioni tot procellis agitatæ,
otio publico tot armis corrupto, re-
gnorum ſecuritati tot barbarorum
conatibus concuſſæ, paſtorem, cu-
ſtodem, reparatorem, vindicem
bonum eligerent, ſed optimum, cui

ſcilicet cum pietate rectè obeundis tot titulorum muneribus robuſta virtus ineſſet, & æquum virtuti conſilium, adhortari. Hæc non ſemel affatus cum nihil proficeret, calamo adhibito, ſic ipſorum aliquem alloquitur. Qua vteris in tractando negotio mihi abs te communicato, incomparabilem prudentiam laudo, ſimulque admiror; & hanc velim in legendo Pontifice, & eligendo, vt adhiberes. An mihi Hiſpanorum fuerit adempta excluſio, penitùs ignoro, hoc vnum ſcio, perennari ſcilicet alteram, & Dei nempè, & meæ conſcientiæ. Voluntatis Dei non eſt, minatur æternam quinimò damnationem, ni oneri oblucter, cui me imparem euidenter dignoſco. Hinc antiqua firmior ſemper in mea deliberatione, facilius tibi

fore

fore polliceor, vt hinc ſupra feretrū efferar, Pontificiam quàm ſuper Cathedram. Hæc omnia porrò, ne longiorum comitiorum tanto cum orbis periculo, & ſcandalo cauſa, quamuis remotiſſima forent, horum ab initio, nec ſilui, nec diſſimulaui. Et nunc te denuò obteſtor, ne quicquam de me loquaris, quippè nihil profuturus. Vt autem paucis me expediam, nolim eouſque tentari, vt iam recuſandi, quem ſic ambiunt multi, Pontificatum, publica vti mihi oſtentatione opus eſſet. Obnitenti parce, Dei honor, ſalus mea, dignitas tua ſic exigunt. Huc vſque Ioannes; nec ſuſpicandum eſt, horum quicquam ipſum protuliſſe, aut iactandæ virtutis, aut occultandi ambitus ergo, reſpondebant enim in Ioanne ſic men-

ti verba, & verbis animus, vt omnem omnibus, vel exiguæ simulationis suspicionem adimerent. Huius in rei gratiam contrarium sentientibus plura hic addam, quæ alienum ab omni fuco Ioannem facient. Huic fortunando toto insudabat conatu magnæ pollentiæ Cardinalis. Is, vt suæ voluntatis erga Ioannem certam daret significationem, asseclatorem ad eum arcana de eligendo ipso in Pontificem renunciaturum inita iam consilia, sibique, & sequacibus firmè statutum nemini fauendum nisi viro Bono, & cui æquè essent cordi & ratio diuina, & publicum bonum, destinauerat relatorem. Ioannes cũ non nisi loquentem frigidè sustinuisset, eumdẽ dimissurus reuertere vnde venisti, inquit, Dominoque

tuo meo nomine renuncia, ſe neque Deo, neque Eccleſiæ, neque rei publicæ, neque mihi demum præſenti in negotio nihil meditari bonum, ſed ſibi, quinimó tanta bonorum virorum excluſione, tanta comitiorum prorogatione Chriſtiano Orbi, quod feſtinari debuiſſet ſe bonum impediuiſſe, meque enixè eum deprecari, vt quæ ſua ſunt obliuiſcens, eligendum curet non bonum ſibi, ſed optimum ſingulis, & qui dignus ſit, non vni familiæ benefactor (quod vtique, & mihi indignum putarem) ſed terræ, cœlique præfici arbiter, orbem vniuerſum vna complexurus charitate, ſed ſumma. Diſſimulantis ne reſponſio hæc fuit, an animi reuerà Pontificalia non curantis? Sed huic ſimilem narrabo inter eadem comitia

rem ab eo gestam. Ioannem adijt Cardinalis amicus valdé, qui pauca post verba longiorem Comitiorum prorogationem condemnantia, vt Ioannis fortasse, vel mentem tentaret, aut pectus, quid adhuc, inquit, moramur? Tantas iam post periclitationes, cur in vnum non coeunt dissonantia capita, & quidem tuam, vel in personam, quod amicis & charius, & vtilius esset, vel in alterius tandem? Nam quod ad me pertinet, cum nihil mihi futuro ab Pontifice, præter quid minimum petendum occurrat, idque facilimo negotio, vel te in throno sedente, vel alio me assequuturum confidam; post Bona, mihi quisquis alius bonus erit. Solutionem residentiæ abnexu, vltra Tridentinam, aliam tres alteros ad menses, vt hoc temporis

spatio

ſpatio, Romæ degenti maius aliquod Rotuli quem vocant, adijciatur emolumentum, quis mihi ibit inficiàs? Tum Ioannes præclara hac ſibi exertandæ ſuæ mentis arrepta opportunitate, inter ſerium medius, & iocantem: Orandum tibi, infert, Eminentiſſime, ne minimum, quod vocitas, ad me efflagitatum accedas. Sedere enim Petri in throno, quod Deus auertat, mihi ſi contingeret, quid tale petenti conceſſam ab Tridentino Concilio, ab ſponſata ſibi Eccleſia, abſentiam non auctam ſolum non velim, ſed imò auaritiæ, qua nihil in Epiſcopo deteſtabilius, talionis in pœnam, contractiorem omnino imponerem, vt quibus fruitur, amitteret, qui vt ditior fiat, ſponſam, cui ſanguinem, cui vitam, cui ani-

mam ſeque totum debet, ſua depauperat præſentia. Hac vbique anteuertendo Pontificatui vtebatur arte, quoties adhibendæ nanciſceretur locum, æquale ſæpè tam pietatis, quàm doctrinæ zelum oſtentans, ſæpé Purpuratis coram, amicis præſertim, quod delicatos offenderet, & mores, & vſus, aliquid inferens. Interrogatus aliquando, qua hora ipſe Sacra quotidiè operaretur; hora, inquit, Papali (Clementis X. regnantis Pontificis ſacrificij tempus alluſerat) quam certè immolandi horam ſeruarem, ſi qui me Pontificem vellent. Caue, ſubiungit alter, ne hæc eadem noſtrorum alteri dicas; imò, Ioannes affatur, vt maiora tibi beneficia debeam, te orabo, ne vni quidem Eminentiſſimorum hæc non refe-

ras, vt qualia illis mea exaltatione superessent incommoda, maturè admoneantur. Sed omnem eneruant politicæ hypocrisis suspicionē, quæ inter ipsum, & accerrimum Hispanicæ causæ Sectatorem Cardinalem, sed ad inuicem sibi amicitia intimos, acciderunt verba. Fama est, cum alter Cardinali Bonæ tot Congregationum negotijs semper occupatissimo Sabbatum, vt potè infinitis propè literarum subscriptionibus obnoxium condoleret, sic ei Bona respondisse. Falleris, Eminentissime, Sabbato summum vel mihi hoc ab onere otium est, vel rarò huiusmodi accidunt subscriptiones. Molestissimum at è contra Mercurium hoc argumento experior diem, qui scribendis ad Gallos literis ferè ex toto im-

pen-

penditur. Hunc Hiſpanus ad ſalem, ſeu vel non ſagiret acrimoniam, vel diſſimularet, nihil percitus, proſperam humaniſſimè Bonæ gratulatus præſentem valetudinem; diutiſſimè, inquit, incolumem te mihi ſeruare iubeo Eminentiſſime Bona, vt quod ex corde Pontificium tibi auguror valenti non niſi accidat, atque robuſto. Leniter ad hæc arridens Bona, pro commendata, infert, mihi ſanitate mirificas ago gratias, à me verũtamen caue, nã niſi augurii pontificalis te pœniteat, Hiſpanicæ factionis apud Reginam, quód me Gallis animo addictum in Pontificem efflagites, te deſertorem poſtulabo. Hac ſalium, & dicacitatum arte Ioannes, vt ſibi maximum ad Pontificatum viam omni ex parte obſtrueret, vlus, certũ tam

fauen-

fauentibus, quàm auersantibus fecit, numquam se, nisi vt toto eam conatu declinaret, pontificiam cogitasse dignitatem. Non latebant nimirum Virum maximum, & æquum rerum omniũ æstimatorem, quàm desciuissent antiqua ab pietate Christianorum mores, ijsque reformandis quàm difficile remediũ, quàm longè ab veteri præsens distaret Ecclesia; quantumque erigendę humana spes omnis abesset; quæ Regum essent, quæ Regnorum discordiæ, qui ab discordantibus à fide conatus, qui à barbaris impenderent impetus, singulisque obsistere, quàm plenum vbique difficultatibus; intelligensque quanta ijs qui præsunt, nisi omninò prosint, supremo ab Iudice supersint mala, purpura exui potiùs passus esset,

quam purpurea vestiri exomide, vnó eodem momento, quod rarum inter huius ætatis homines, summam & Pontificibus dignam vi tota contendens ad virtutem, summos & eximiæ dumtaxat virtuti debitos contemnens honores.

Summæ Dignitatis Cardinalitiæ positus in loco, veteris modestiæ monasticæ nihil remittens in constituenda familia, in exornando palatio, suppellectilium in sumptu ea est vsus moderatione, quę nec assumpti status dignitatem obscuraret, nec veteris conditionis humilitatem offenderet, plus personarum qualitati, quàm numero, sicut & rerum magis munditiæ attentus, quàm pretio. Familiares non tam origine quàm virtute nobiles, qui ad omnem modestiam, atque hu-

manitatem educati essent adhibuit, humilioribus seruitijs addictos non omni vitio immunes nullos ferens, tam hos, quàm illos diuerso quidem pacto, sed vna amplectens charitate. In ijs quæ ad victum pertinent, Cardinalis non minùs parcus, quàm Abbas, in volutandis quoque Auctoribus sic sibi semper similis extitit, vt vel legeret aliquid semper, vel scriptitaret, maioris sapientiæ sibi legendo sitim explens, frequentibus scribendo riuis deductis. Huius ordinis sunt Rerum Liturgicarum libri duo, quos primo sui Cardinalatus anno publici iuris fecit, hac eisdem ab Alexandro Pollino encomiastica præfixa censura. Rerum Liturgicarum libros ab Eminentissimo, ac Reuerendissimo D. Ioanne Bona Cardinali compo-

ſitos, honoris cauſa iuſſus, perlegi, eximiæ pietatis, doctrinæ, & eruditionis refertos, & quos religioſiſſimus quiſque inoffenſo decurrat pede, tum ob facundiam, perſpicuitatem, ordinem, elegantiamque digniſſimos, qui diu multùmque expectati, magno Eccleſiæ bono, & Eminentiſſimi nominis ornamento proferantur in lucem. Huic ille elucubrando operi integra annorum incubuit hebdomada, tot annos laborioſo in partu cõtendens, quot moliendo in Orbe conſumpti dies. Sæpè enim eum ab incępto, vel vndequaque ſibi commiſſa negotia diſtraxerant, vel tractandarum rerum intra antiquitatis rudera latentes notitiæ longiſſimas nonniſi poſt perquiſitiones comperiendæ retardauerant. At expergeſecit multorum

torum ingenia absolutum hoc tot vigilijs opus; vt lucem vidit, comantis stellæ adinstar omnium oculos, omnium animos furantis, mota in eo de fermentato pane, & azimo quęstione, eruditorum primæ Classis virorum quosdam, vt Ioannis opinioni applauderent, alios, vt eidem obluctarentur, exstimulante. Laudandi doctrinam, aut doctrinæ applausus hic locus non est, sed neque contradictores confutandi, aut eorum dicta, vtrisque satisfacient ipsamet Ioannis scripta, æquo ab Iudice, & scito historiæ, si ad trutinam exactiùs examinentur. Manent hucusque suo æstimata pretio, interque excitatas aduersariorum iniurias tantùm abest, vt auctoritatem amiserint, laudatorum, & sectatorum numerum vt sibi augen-

dum

dum ſperent. Hæc interim Ioannem retractaſſe, quempiam minoris iudicij virum quàm ingenij gloriari ſcio, ſed id quàm falsò is ſua lingua, quamque typis petúlanter euulgauerit, poſthumo ex eiuſdem Ioannis opere prœlo breui excudendo, cui ille mentitur, clariús veritate appareb t. Sequenti anno ſui ſcilicet Cardinalatus ſecundo, opere altero de Diſcretione ſpiritúum euulgato trapezitam agens ad iuſtiſſimàm ſanctuarij lancem, & ſagaciſſimā ſanctorum Patrum ſtateram, natura variorum ſpirituum, quos ſcilicet nobis ipſis mens noſtra immitit, quos Deus mentibus noſtris infūdit, & quos Demones ſuggerunt, reuocata, bonos eligere, reprobare malas, ſeparareque à vili pretioſum, ab falſo verum, ab ſerpentis ſibilis

ſponſi

ſponſi vocem clarè, æquè, ac doctè, ab antecedentibus ſignis, ab comitantibus, ab ſubſequentibus ſatis abundé demonſtrant. Viſus hoc in libello ſeipſum ſuperaſſe Ioannes, nec eumdem alio vſum fuiſſe calamo credendum eſt, quàm quem & temperaſſet, & rexiſſet, qui ſpirituum, ſapientiæ teſtimonio, ponderator eſt, & creditur. Lapidis intereà Bona, quo exciſus fuerat haud immemor, Eccleſiæ, quam Diui Bernardi ad Thermas appellant, & intra cuius Cænobium ille ſibi purpuram meruerat, æqui bonique conſulturus, eidem Cardinalitium, Clemente X. concedente, obtinuit titulum, eumdem ſcilicet, honorabatur quo olim S. Saluatoris in Lauro Baſilica. Hunc autem cum ſibi primùm exoptaſſet, qua potuit

animi magnificentia tenuitatem annuorum redituum vincente, templi lateritio pauimento elaborata arte excitato, Capellæ eidem Diuo Parenti dicatæ, vt quot annis octauo eiusdem Sancti festiuo die eius ad altare solemni ritu sacrum celebraretur (abfuit viuens cui ille numquam) pingue attribuit fundum. Suo huic titulo, suorumque, quos impensè diligebat Ecclesiæ, si quid tum rei familiaris sumptibus, tum frequentibus, ingentibusq: eleemosinis superesset munifica impendebat manu, liberalis erga se minùs; vt nihil ornamenti, & decoris Ecclesiæ suæ deesset, Eucharisticæ Diuinitati seruandæ nouum, vetere, quòd nimis aram, cui supererat, occuparet, remoto, tabernaculum extruxit, quod, te Eminentissime

architectonicæ etiam artis peritissimo delineante, forma orbiculata, quæ spherico respondet templo, columniis duodecim, ijsque striatis, & Corynthio opere, totidemque tum solidæ molis Apostolorum simulacris, tum vetere ex testamento, & nouo dimidiatæ extantiæ misterijs, aut Christi cænam, aut eiusdem Passionem referentibus, auro abundè perfusū, obuiantibus stuporem infert, & deuotionē. Eucharistiæ pone hanc nouam Sedem, intro scilicet Monachorum Odœum, tumulo deindè sibi delecto, lapidem nihil ab solo extantem modestiæ suæ magis, quàm nominis, cui totius orbis iudicio quodquam mausoleum impar esset, imposuit, hac candida summo pro elogio sculpta Epigrapha.

D. O. M.

IOANNES BONA

Pedemontanus

Congreg. S. Bernardi Monachus,

& huius Ecclesiæ

Translato huc titulo

S. Saluatoris in Lauro

Primus Præsbiter Cardinalis

Viuens sibi posuit.

Fabricandas post hæc, tum psallentium Monachorum commoditati, tum ad nitidius, atque elegantius Chori ornamentum machinatur sellas, nullis parcens sumptibus, vt reliquis Ecclesiæ partibus, Organo præsertim moderni Abbatis Generalis Nicolai Pistonij Subalpini opera, & ope magnificè excitato, illæ non tam æquarentur quã, quà ligni pretio, quà formæ artificio omnem omnium collationem

vincerent : terminando operi aureis nummis binos ſuprà millenos, quorum ſummam egeni Cardinalis facultates excedere quiſque facilé credet ; aſſignatis . Maiorem hanc à ſe molitionem magno cum ſui animi gaudio inceptam vidit, præſens in decus non niſi illius poſt obitum, quod Monachis maiori doloris fuit, abſolutam . Sed ſuæ ſic Eccleſiæ, ſuis ſic Monachis tota animi attentione perſtudioſus illam dum exornat, ijs dum proſpicit, electos quoque Dei omnes per vniuerſum Orbem diſperſos, vt ad gratiam, pacemque ; quæ omnem ſuperat ſenſum exſtimulet, perducatque, libellum eis ; principijs, & documentis vitæ Chriſtianæ refertum inſcribit, hoc vltimo ſui ingenij partu compendioſos ſtudiorum ſuorum exor-

naturus labores. Verùm ad occa-
ſum iam properat magnum hoc Ec-
cleſiæ ſidus, & qui morum Sancti-
tate, & doctrinæ miraculis, nullis
non linguis laudari meruit, nullis
iam non ſimul oculis inſanabili cor-
reptus morbo deflendus iacet. Qua-
tuor ſuprà triginta decubuit dies
Medicorum iudicio ad decimum
vſque quintum ſanandus, inter ſpem
deindè, & metum curatus ab eiſ-
dem vſque ad vigeſimum ſepti-
mum, reliquo tempore, quód iam
natura ab vi morbi proſtrata eſſet,
ſolo animo ſuperſtes, ſoli omnium
virtutum ſuperuivens exemplo, aſſi-
duos inter laterum dolores, acer-
bos inter ardentis febris cruciatus,
quicquid de tolerantia, de magna-
nimitate, de conformanda humana
voluntate cum Diuina, de vitę con-

temptu, de mortis despicatu suis in libris scriptum reliquerat, constantissimè exercens omni moritur hora, nullo momento non sui victor. Pollicenribus vitam paratum se vitæ profitetur, animantibus ad mortem æquo animo opperiri mortem fassus, virum non alium se omnibus hac vltima in rerum arena exhibuit, quàm qui sedendo fortiter alios simili in agone dimicare, nec vitæ repugnando, nec morti, diuino vtrisque commendatis arbitrio, docuerit. Accesseram hoc tempore ad ipsum quamuis podagra adhuc laborans, vt iam conclamato benè pręsens precarer, cumque illi flebili voce suggessissem redimendo eius pro vitæ periculo mihi a Deo efflagitasse mortem, defixis ille in me oculis, absit, inquit, hoc à te ma-

lum Congregationi tuæ cùm te perneceſſarium agnoſcam, viuas quantum Deo placuerit. Quod ad me attinet, qualis, & quantus ſim, Diuinæ committe voluntati. Solus enim, quid mihi expediat, quid eius gloriam deceat, ille nouit, ab cuius ego arbitrio,& neceſſitate pendens, & voluntate,is illi fieri cupio, quem ille tota in æternitate me ſibi eſſe decreuit. Rogatus inſuper, vt pro conceſſa ſibi à Clemente *X.* tranſferendi,quas vocant,penſiones facultate, earum ſaltem aliquam viris familiæ ſuæ nobilibus renunciare, conſtantiſſimé renuit, idque cùm nihilominus ab omni ſcrupulo immune magna auctoritate viri, adductis in medium probatorum hominum tum exemplis, tum conſi-
lijs.

lijs eidem iterùm persuaderent, firmior ille in negandi proposito persistens, quæ allegatis, inquit, nec exempla improbo, nec consilijs refragor, verumtamen & conscientiæ meæ consonat, & rationi, consulendum potiùs Episcopis, quorum magno incommodo necessaria honori meo suppeditata fuere, & quibus subleuandorum pauperum, prouidendæque Ecclesiæ onus incumbit, quàm ijs, quos vel egenorum, vel Ecclesiarum nulla premit solicitudo. Non defuere, qui ægroto, iamque ferè animam agenti, consanguineos commendarent, nubiles præsertim illius ex sorore neptes, omnibus fortunæ bonis destitutas, toto eloquentiæ nixu recordantes, ne indotatas relinqueret. Ijs ille forti animo resistens

ſiſtens, de bonis, inquit, paternis ſemel multos ante annos teſtatus, nihil ad hæredes non tranſlatum remanſit, quæ autem Eccleſiaſtica ſuperſunt, aliter quàm ad Eccleſiæ fauorem legari; auertat à me, qui me altaribus dicatum voluit. Superuacaneum autem eſt poſt iam dicta cœterarum virtutum omnium reminiſci, quarum ille heroicos actus, & nunc in extremis laborans exercuit, apud te, Eminentiſſime, præſertim, qui ſingulari pro tuo in illum ſtudio, arcta tua cum eo pro conſuetudine, ſimilibus pro moribus, pari ad omnem virtutem pro genio, eidem hoc toto ſuæ infirmitatis tempore, amicitiæ nulla non præſtans officia, ferè indeſinenter adfuiſti, fortiſſimi illius in tolerando animi, pacatiſſimæ inter mortis

conflictus animæ non tam testis quàm admirator,sed quem iam dolor, & mœror ploratorem fecissent. Feruentissima enim inter seu Theologalium,seu Cardinalium virtutum exercitia, ea vultuum tranquillitate, ac animi constantia dissolui opperiebatur,quæ quilibet admirari posset,soleminem iturus ad triumphum. Concessit heu sed fato tandem, & inter Monachorum suorum, & lacrymas, & preces mortalitatem exuens Anno 1674. quinto Kalendas Nouembris ætatis suæ 65. eodem moritur sanctimonię exemplo, quo vixerat. Quantùm porró eius ex desiderio Vrbs tota dolorem ceperit, quo contabuerint mœrore omnium ordinum viri vix dici potest, nulla pupilla ereptum non collacrymante, nullo oculo extinctum

non lugente, lingua nulla mox efferendum non lamentante. Audiuntur per Vrbis compita, larga quos solebat ille viuens solari manu miserorum eiulatus, & pauperum gemitus, verecundorum per domos, & egenorum, & viduarum, quæ ille eleemosinis edulcorabat suspiria, per Regularium claustra, per cuiusquè nationis Religiosorũ hospitia, quibus ille quà Consul, quà Patronus, quà Vindex prospiciebat, destitutorum lamentationes, parentante & illi plenis lacrymarum oculis purpuratorum ordine, qui quantùm sibi ex Ioannis Bona interitu demptum splendoris haud ignorans, quo eum spirantem prosequebatur honore, iàm expiratum eodem prorsùs dolore luget. Solutæ interim, quas duobus circiter ante obi-

tum annis ipſe condiderat ſupremæ tabulæ, in quibus amicorum haud immemor, & benefactorum, cuique ipſorum, vel honoris cauſa, vel gratitudinis legato ſua pro rerum tenuitate relicto, ceſſa item Diui Bernardi Cœnobio Bibliotecà, eiuſdem Sancti Eccleſiam, Te, Eminentiſſime, cũ Ioanne Dominico Thomati teſtamentario Curatore deſignato, bonorum ſuorum hæredem ex aſſe conſtituerat. Recenſita in eo paucorum nomina ex Cardinalibus Roſpylioſius, & Tu ipſe, quibus ille ſummè addictus, æternam in vtrumque ſui animi gratitudinem vt ad hæredes quoque trãſmitteret, eiſdem teſtatam reliquit. His Ioannem Sluſium Pontificijs ab literis, & Ioannem Dominicum Thomati diuerſò titulo, ſed pari amore Præ-

latos sibi charos addidit, facta item Simonis Corderij Sanctorum Mauritij, & Lazari Equitis, & Abbatis Naldi, quos inter familiam nobilem ingenuos habuit, & gratuitos, honorifica mentione. Hos omnes Bona sibi præ omnibus, hac amoris, & pretij significatione notatos voluit, vt acceptis ab eorum singulis beneuolentiæ officijs pares rependeret affectus, domesticis nihilominus cœteris solito ad quinque post sui obitum menses stipendio prorogato, pensoque solemnis defunctorum Officij annua quaque obitus sui recurrenda die heredibus imposito. Hac itaque cera solemniter recitata, perlectoque annexo tabulis Codicillo, quo bis binos præter currus, senosque currules equos testamento relictos, scrinijs insuper duo-

bus

bus cum mensulis Eminentissimo Rospyliosio legatis; Sanctæ Susanę Monialibus centussibus centum, & Parochiæ Pauperibus quinquaginta concessis, Cardinalitium annulum Abbatiæ Montis Regalis summa pro sua hanc in Virginem deuotione, gratique animi in monumenrum dono donauit. Amicis alijs, atque Benefactoribus optimam prima in cera protestatus Bona voluntatem æqua animo pollicetur legata, maiores sibi si accessissent opes, quod tibi Eminentissime Camille, tuisque meritis dictum prorsùs non ambigo, à quo, vt potè ille eodem die quo ad Cardinalatum assumptus fuit Syngrapho aureroum quatuor mille, & ampliùs, pluribus si indigeret accepto, summum Te sibi Benefactorem super omnes

perſenſerat . Is tibi poſt annum idem omninò reſtituit, quod tu illi ab anguſtijs ſubleuando libentiſſimè conceſſeras , euaſuſque beneficio hoc tuo ex amico debitor, æqualē tibi benefactis plenam muneribus promittit gratitudinem, aliquid te dignum aſſequatur ſi aliquando. Huius rei haud ignarus ego, ſublati Bona vices ſuſcipiens officioſa pro grati animi ſignificatione, quam is tibi referre morte præuentus non valuit, ipſum eidem tibi offero Ioannem meo hic calamo relatum; quem tibi pretioſiora ſupra omnia chariorem exiſtimo. Contractè hunc tibi retuli, arcto in ſpatio magnum, naturam imitatus, quæ Pyrrhi in annulo muſas nouem vno cum Apolline ſpectandas dedit, eumdem tamen, qui ſuis ſplendori-

bus

bus restituant, qui suas omnes referant virtutes, merita, qui sua decorent non defuturos spero; hi hoc eius delineato abs me vngue, quem vix ostendi, Phidiæ exemplum sequuturi integrum exprimeent Leonem.

Sed & nunc ad te me verto Ioannes, ausui huic meo precaturus veniam, te enim vt pingerem, Gaulum, aut alium quempiam hoc eodem ineptiorem egi, non Apellem, atramento meo tuarum virtutum splendoribus plus obscuritatis attribuens, quàm luminis, reptantique usus stylo eximiò pro penicillo, tua hac sub effigie exanimaui te potiùs, quàm animauerim, præter nomen nihil, seu ingenitis tibi virtutibus, seu comparatis dignum exhibens. Meas super vires instituẽdam susce-

pisse molem fateor, scitus tamen quàm difficile cuique alteri esset ea de te noscere, quæ me solùm non latere voluisti, timensq; prætereà, ne me iam septuagenario pereunte, credita quoque abs te mihi de te multa interirent, malui ea referri malè, nullo scilicet styli cultu, quàm diutiùs taceri, non sine earumdem magno obliuionis periculo. Labori igitur huic meo, qualiscunque ille sit, æterna illa ex Beatitudinis debita tuis virtutibus sede benignus annue, mihique, quem viuens amicum habuisti, & qualemcumque desideratus laudatorem, vt tui imitator euasus, eamdem Conciuium tuorum assequar felicitatem fidus interuentor, impetra, quam tu iam assequutus piè crederis.

EPITAPHIVM

IOANNI BONA.

Adultæ prudentiæ adhuc puero,
Senilis maturitatis vix adolescenti,
Naturæ dotibus magno,
Gratiæ donis maximo;
Qui victor Cupidinis antequam cognitor,
Solo Venere altera prostrata sputo,
Dolo altera delusa,
Ignes ambarum irrisit.
Qui Musis carminis nitore, & animi amicus
Seruaret vt vtrumque, & augeret,
Cœnobiticos inter Bernardi filios,
Rebus spoliatus, Cucullum induit.
Monachus illic adeò suos perfecit mores,
Vt Prioratus titulo,
Abbatiæ, Prouinciałatus, Generalatus
Suis præfici sit demeritus;
Singulis in ministerijs
Singularia successoribus relinquens exempla.
Fœcundo ingenio, illibatis moribus,
Facundo eloquio;
Alexandro VII. deinde charus,
Nullos ab eo honores, præter Purpuram
non accepit:

Sacræ Indicis Congregationi aggregatus;
Aliena dijudicando ingenia,
Quanti iudicij ipse esset indicium fecit.
Qualificator hinc S.Officij,Propagandæ fidei,
Sacrorumque Consultor Rituum,
Tantum Congregationibus ingenio suo
splendorem addidit,
Vt sapientissimi earum Purpurati Patres
Patrem appellarent sapientum.
Sancti Officij demum Consultoribus
adscriptus
Omnibus omnes in se vno circumscriptas
retulit virtutes,
Summa cum doctrina pietatem summam;
Et quod miraculo simile fuit,
Tanto cum ingenio, modestiam tantam.
Laudauerat hunc sæpè maior omni laude
Rospyliosius,
Ab oris suauitate, ab grauitate morum,
Reconditarum rerum ab eruditione,
Facillima ab difficillimarum explicatione.
At summus euasus Pontifex
Remunerator ex commendatore
Donatum Purpura suo locauit in lumine.
His ille additus sideribus, quis fulserit,
Quem clarauit, interrogandus Orbis:
Audiendi omnium nationum applausus,
Quas solo suo exhilarauit nomine:
Consulenda quæ scribenda fecit,

Quæ

Quæ legenda ſcripſit,
Morum lucem illa iſta ſapientiæ radios
Pleno explanatura ore.
Benè enim ſcribendi æquè, ac benè faciendi
doctus,
Gemino operarum, & operum argumento
Doctis illuxit doctiſſimus,
Et bonis optimus,
Vbique ſuo melior cognomine.
Tanto igitur Purpuratorum exemplari,
Tantæ Monaſticæ virtutis Imagini,
Tanto totius Orbis Chriſtiani exemplo,
Lucas Bertolottus
Amicitiæ pro monumento, & obſequij
Hunc poſuit Lapidem.

FINIS.